DE VITA
CHRISTIANORVM
ante Conſtantinum,

& alia.

Digitized by Google

DE DOGMATVM ORIGENIS,

Cum Philoſophia Platonis, comparatione.

SALEBRÆ TERTVLLIANEÆ.

DE VITA CHRISTIANORVM

Ante tempora Conſtantini.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

OPVS

PAGANINI GAVDENTII

Theologi, & I.C.

FLORENTIÆ

Typis nouis Amatoris Maſſæ, & Soc. M.DC XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Sereniſſimo Principi,

LAVRENTIO

AB ETRVRIA.

SI vlla gens, ab vltima temporum in hanc diem ſerie, diſciplinarum liberalium, eorumq;, qui ipſas profitentur, gloriam, cordi habuit, MEDICEA profectò familia, magnanima benignitate ſplendidaque munificentia, eas ſibi fouendas, amplificandaſq; exiſtimauit. Ne antiqua, & remotiora conſecter, Auus tuus, Sereniſſime Domine, Coſmus primus, huius imperij conditor glorioſus, inter præcipuas curas hanc eſſe voluit, vt poſt redditam Etruriæ tranquillitatem, profligato bello, Gymnaſium Piſanum iam propè ob turbidos totius prouinciæ motus collapſum inſtauraret magnificè, augeret ampliſſimè, ſancitis legibus, aſſignatis prouentibus, vocatis ex vniuerſa Italia clariſſimis in omni ſcientiarum genere profeſſoribus. Paterna per veſtigia ſic inceſſit Ferdinandus pater tuus, vt fulgorem magni Coſmi, ipſe non minor, hac etiam in re æquauerit, aut etiam ſuperauerit. Quod enim hodieq; inclytum, quod eſt Piſis, Athenæum gloriatur perenni memoria, perennibuſq;

libris Mercurialis, Fachinæi, Mazonij, Maynetti, Angelij, atq; aliorum, id Ferdinandi primi acceptum fertur regiæ munificentiæ, memorabili erga ſtudia ſapientiæ propenſioni. Putabat nempe prudens, & generoſus Princeps, non aliter conſtare ſplendorem, famamq; publicarum Academiarum, quam ſi ad eas vndiq; celebriores quiq; doctrinarum myſtæ, & doctores honorificis ſtipendijs inuitentur, alliciantur, inuitati, allecti peramanter, benignèq; habeantur. eximij verò homines beneficiorum vinculo obſtricti, literarum monumentis, quæ nunc quoq; in manibus eruditorum verſantur, ſatus ſuperque quantum domino de ſe præclarè merito, deberent, ſunt teſtati. Nec ſiluerunt immortale, ac nunquam interiturum nomen Sereniſſimæ Chriſtianæ Lotharingæ, Matris tuæ, quę in promouẽdis inſignium ſcientia hominum commodis, in amplificanda ipſorum dignitate ingentem cœpit ſemper animo voluptatem. Quam verè id à me narretur, vel vnus Scipio Ammiratus, neminem ſinit ambigere. Eum cum videret optima Princeps, ingenio, doctrina, rerum vſu, eloquentia, pollere, & inter primos meritò numerari, effecit, vt auctus re familiari, auctuſq; honorifico Sacerdotio, deinceps percommodè, & ex animi ſententia conſcribendis egregiæ notæ voluminibus vacaret, quorum quidem partem ipſemet in publicam emiſit lucem, maiorem aliquando emittendam, ſi cui id eſſet curæ, in ſcrinijs relinquens. Quod cum te, Sereniſſime Domine, non lateret, Iuniorem Ammiratum, fide peritiaq; conſpicuum tuis ſecretis ſic admouiſti, vt

ani-

animum ei munifico tuo agendi more addideris, ne amplius in tenebris laterent, quæ euulgari merebantur. Hinc tuis auſpicijs effectum eſt, vt iam vtiliſſima præſtantiſſimorum operum fruamur lectione, intelligamuſq; quam ſanctè res geſtas ab Auo, Patre, Matreq; colas recordando, cum ad ſimilia præſtanda aſſurgere ſoleas alacriter. ſic nemo, vt arbitror, mirabitur, ſi ego exercitationes meas de Dogmatibus Origenis, de Tertulliani difficilioribus locis, de Vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini, fretus tuo preſidio, eruditorum genti exhibeam cognoſcendas. Cum præſertim, poſtquam in hanc veni regionem, meis conatibus nunquam nō viſus ſis impensè fauere, & ſint inter familiares tuos, qui vetuſtatem Eccleſiaſticam gnauiter exponi, oculiſq; omnium ſubijci putent magnoperè Chriſtianæ Reipublicæ, & Etruriæ, hoc præſertim tempore, intereſſe. Quæ dum meæ obſeruantur menti, faciunt, vt librū Tuę Sereniſſimæ Celſitudini gratum fore, acceptumq; hilaris ſperem. Certè vt ſit, venerationis plenus quā humillimè rogo. Ita Deus robore tuū corpus inſtruat, tuas vires, depulſa omni imbecillitate excitet, atq; inſtauret. Florentiæ VII. Cal. Octobris An. M. DC. XXXIX.

Tuæ Sereniſſimæ Celſitudinis

Humillimus, & obſtrictiſſimus ſeruus
Paganinus Gaudentius.

A

Ad Eundem

SERENISSIMVM
PRINCIPEM,

Epigramma.

DVM Iubet Origenis ſublime inuadere dogma,
Pallas te, Princeps, auſpice ſignat iter:
Dum verò acrij iuuat ire per auia Quinti,
Ex hedera ſertum plectere Suada vetat:
Mox iubet abſtruſum Sophię componere verum,
Dictaq; priſcorum pandere Chriſticolûm;
Vt te ſidereum, LAVRENS, ſpirante fauore,
Tergeminum laurus Delphica cingat opus.

Le:

Lectori S. D.

TRES abhinc annos Florentia cum repetijſſem Piſas, publicarum prælectionum incubiturus muneri, forte in Bibliotheca oculos conuerti in Tomos Conciliorum œcumenicorum ex editione Romana, quorum vnum cum ſumpſiſſem in manus, incidi in diſputationem Iuſtiniani Imperatoris aduerſus Origenem, & Origeniſtas. delectatus argumento per horas, quas non cogerer Academicis laboribus, Iuuenumq; ſtudioſorum profectui impendere, eiuſmodi libro vacare conſtitui. Paulatim verò incaleſcente ob materiæ nobilitatem animo, ſeriò cœpi de Philoſophiæ Platonicæ complicatis dogmatibus, quæ videbantur Origeni impoſuiſſe, cogitare, illuc vſq; progreſſus, vt iam viderer comparationem Philoſophiæ Platonicæ cum ſententijs Origenis, ſi non totam, ſaltem incohatam mente circumferre. Quam, ne elaberetur, peſſumq; iret, papyro mandare ſategi, non tam vt alios docerem, quam vt erudirer, proficeremq; ipſe. Cum autem, vt ſolet fieri, cum amicis profeſſoribus collegis eam, & diſſerendo inter ambulandum foris, atq; etiam legendo domi communicaſſem, cur eiuſmodi exercitationem publici iuris non facerem, non ſemel quæſiuerunt? perluſtraui deinceps curioſis oculis morem ſubſcribendi in concilijs, flexiq; cogitationem ad Patriarcharum dignitatem, atq; alia, de quibus iam dicere ſuperſedeo. Etenim cum ſepoſitis Conciliorum voluminibus, appuliſſem hybernæ tempeſtatis antelucanas horas cognoſcendis operibus Tertulliani, inuitatus elegantiſſima profectò Cl. V. Rigaltij editione, acriterq; collatis inter ſe grauioribus quibuſq; locis in ſcriptore arguto, acutoq; multiiugaq; ſacrarum rerum cognitione redundante, non ſolum librum, cui titulum feci Salebrarum Tertullianearum, ſum architectatus, ſed eadem diligentia alium compoſui de Vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini.

Sic enim ſemper opinatus ſum in vnius Tertulliani ſcriptis, tanquam in ſpeculo licere contemplari conditionem temporum, quæ Chriſti cœtum ante glorioſos Conſtantini faſces exercuerunt. Nec tamen ſolo Tertulliano contentus eſſe potui in opere conſcribendo. vocaui ergò ſubinde in ſocietatem Doctoris Afri Euſebium, Iuſtinum, Ignatium, & aliquos alios de eodem genere. Quo ſtadio decurſo, videor mihi ex parte depuliſſe, & compenſaſſe ingens detrimentum, quod in Rhætia aliquando feci, amiſſis laborioſis annotationibus, quas vnius anni aſſidua conſtantia, in totum propè Tertullianum mihi paraueram. Erepta verò, & ſubducta eſt hæc ſupellex, cum coactus fuiſſem furenti populo, & exitium intentanti me ſubtrahere, atq; etiam, ſic ſuadentibus prudentioribus, ſolum vertere, Italiamq; petere. quod ideò, lector, narraui, vt noris, me ab ineunte ætate opera Tertulliani conſectatum fuiſſe peramanter, perq; ſtudioſè. Quæres verò, quem ex recentioribus in conſcribendis tribus, quæ tibi repræſento, opuſculis, in conſilium vocauerim? An Gilbertum Genebrardum, Sixtumq; Senenſem de Origene vbi agitur? An Pamelium, Cerdam quando fuit Tertullianus cognoſcendus? An præ omnibus, quandoquidem antiqua Eccleſiæ tempora enarrantur, ſummum Virum, Cæſareoq; digniſſimum apice Baronium? Nihil minus præſtiti, mi lector. quin ſtudioſe caui, ne in vllius ex noſtratibus inciderem annotamenta. Trahi ab vnoquoq; ſcriptore multum de ſeculo, in quo viuit, & conſuetudini plurimum etiam à ſapientibus tribui, quis ignorare poteſt? Hinc adeò fit, vt quæ accepimus à noſtra ætate, à magiſtris, amiciſq; quibuſcum tempus tranſigimus, cogitationeſq; conferimus, illa ipſa transferamus ad legendos Antiquos, quibus etiam volentibus nolentibus impingimus tanquam germanum ſenſum, quem tamen non ab ipſis, quos tunc verſamus, priſcis haurimus, ſed aliunde ex recentiſſima obſeruatione, muſteoq; more importamus. Ne ergò cuiuſquam quantumuis magni hominis mihi obreperet auctoritas, efficeretq; ne limpidum fluentum, quale quidem tunc, cum floreret Tertullianus fluxit, oculis meis alium, quam ingenuum, ingenitumq; obijceret colorem.

lorem.

Digitized by Google

lorem, ipſum Tertullianum varijs in locis de ijſdem ferè rebus loquentem ſategi audire. fateor audax eſſe, & temeritati proximum molimen eius, qui proprio ductu, domeſticiſq; auſpicijs rimatur ſententias, dogmataq; tantorum hominum. quis tamen àb animo non planè humi repente, à mente alacri, id proficiſci inficias ibit? Nonne etiam ſatius eſt quandoq; impingere, per ſalebras, & abrupta dum fertur pes, dummodo ipſe incedas, non deducaris, vt cæcus, à manuductore prenſante manum? Exiſtimo & ego me quandoq; extra tramitem, extraq; lineas veſtigia impreſſiſſe. Sed obſtinatus non obduro, quin ſtatim redeo in orbitam, inq; regiam viam, ſi quis comiter, humaniterq; quando errauerim, oſtendere non dedignetur. Abeant procul à tractatione diſciplinarum, qui nullum poſſunt ferre reprehenſorem, qui delicati vellicari nolunt, ex cortina ſui ordinis, ſuorumq; hominum oracula mortalibus effantur, qui tria verba ſi audiant, non obuia in familiaribus illis bibliothecarum pulpamentis, arrecto ſupercilio, fronte in rugas vocata, oculis in minantem aciem verſis aiunt: vide quid dicas, hæc ego in noſtro Palæmone non reperi, à Panſopho non auribus hauſi. Sed digredior ab eiuſmodi congreſſione, teq; lector per tuam humanitatem rogo, cogites hominem me eſſe, qui ſic amo in dicenda ſententia, exponendiſq; Scriptoribus libertatem, vt à licentia, nouitatiſq; amore deſultorio, putem mihi perquam procul eſſe recedendum.

Ad Eundem lectorem.

QVò nos cunq; vocant priſcorum nomina Patrum,
Pagina quò Quinti, quo trahit Origenis
Per iuga,per ſalebras,celeri ſapientia greſſu,
Mecum iter, ò lector, carpere cur dubites?
Flora fauet, fauet Etruſcæ Dux inclitus oræ,
Phœbeam præfert lampada lætus honos:
Quin Piſis geminat plauſus generoſa iuuentus,
Annuit excelſo è pegmate fortis Eques.
Ergo ades, ò lector, noſtrumq; euolue libellum,
Nam cupidus,chartas forte iterare voles!

INDEX CAPITVM,

QVÆ CONTINENTVR In opuſculo.

DE COMPARATIONE Dogmatum Origenis.

QVi demũ in quinta Synodo damnatus fuerit Origenes? Cap. I. pag. 1
Exemplaria Origenis non fuiſſe corrupta. Cap. II. p. 3
An fas fuerit Iuſtiniano componere librum contra Origenem? Cap. III. p. 4
Saltem certo conſtare à Sexta Synodo damnatum Origenem. Cap. IV. p. 5
Origenem induta perſona Doctoris Chriſtiani conatum obtrudere ſententias Platonis. Cap. V. p. 6
Secũdum Origenem non eſſe Deum infinitum. Cap. Vj. p. 7
Gradus in diuinitate hauſiſſe Origenem à Platone. Cap. Vij. p. 8
Origenem putaſſe Filium eſſe Deum, ſed factum. Cap. Viij. p. 9
De qua ſapientia ſint exponenda ea, quæ leguntur. cap. viij. Prouerbiorum. Cap. ix. p. 10

Qua-

Quatenus Origenes dixerit à Filio non poſſe videri Patrem. Cap. x. p. 12
Arrium Origenis fuiſſe germen. Cap xj. p. 13
Quid nomine duorum Seraphin Iſ. 6. vel duorum Animalium Habac. 3. intellexerit Origenes? Cap. xij. p. 14
Num putauerit Origenes Solem, Lunam, & Stellas eſſe Deos? Cap. xiij. p. ead.
Qua in re diſſentiat Origenes cum Platone, quando de anima, & mente Solis agitur. Cap. xiv. p. 15
De verbis S. Pauli: Cupio diſſolui, fuiſſe ab Origene tranſlata ad Solem quoque. Cap. xv. p. 16
Origenem cum Platone putaſſe anima, & ratione prædita eſſe ſidera. Cap. xvj. p. 17
Cur dicatur cœlum enarrare gloriam Dei? Cap. xvij p. 19
An hæreſeos ſit notandus, qui ait cœlum eſſe præditum anima? Cap. xviij. p. 20
Mendum deprehenſum in ſexto Anathematiſmo contra Origenem. Cap. xix. p. 21
Quatenus hæreſeos damnetur, qui ait aquas, quę ſupra cœlos ſunt, eſſe virtutes, & mentes. Cap. xx. p. 22
Quatenus aquæ in ſac. litteris dicantur laudare Deum. Cap. xxj. p. ibid,
Videri Origenem amplexum Ideas Platonis. Cap. xxij. p. 23.
Relabi Origenem ad cultum plurium Deorum. Cap. xxiij. p. 24
Cur putauerit Origenes mundum coęternum fuiſſe Deo? Cap. xxjv p. 25
Exi-

Exiſtimaſſe Origenem Deum non creaſſe in tempore genera, & ſpecies. Cap. xxv. p. ibid.
Origenem dum de Mundo creato loquitur multiplici vrgeri difficultate. Cap. xxvj. p. 26.
Plures mundos à Deo ſecundum Origenem creari. Cap. xxvij. p. 27
De argumento, quo Origenes conatur probare, animas antequam deſcenderent in corpora, peccaſſe. Cap. xxviij. p. 28
Mentem ſecundum Origenem fieri animam, & viciſſim ex anima fieri mentem. Cap. xxjx. p. 29
Hierarchias Angelorum ſecundum Origenem tandem etiam fieri homines, Cap. xxx, p. ibid
Origenem putâſſe animas quandoq; tranſire ad bruta, atq; etiam piſces Cap xxxj. p. 30
Vndè colligat Origenes animas defluere ab vnitate. Cap xxxij. p. 31
S. Scripturam non dicere animam Chriſti fuiſſe, antequam conformaretur corpus in vtero Virginis. Cap. xxxiij. p ibid
Exiſtimâſſe Origenem animam Chriſti hoc meruiſſe, vt aſſumeretur à Verbo. cap. xxxjv. p. 32
In quam blaſphemiam volens nolens incidat Origenes. cap. xxxv. p. 33
Vndè didicerit Origenes, animam Chriſti, ſi ſemper fuiſſet, nunquam peccaſſe? cap. xxxvj. p. 34
Origenem putâſſe Chriſtum ſæpe paſſurum, & non vno in mundo. cap. xxxvij. p. 35
Num ſit futurus finis mundi ſecundum Origenem? cap. xxxviij. p. ibid

Nec

Nec præmia, nec pænas apud Origenem agnoſcere æternitatem. cap. xxxix. p. 36

INDEX CAPITVM, *quæ continentur in Salebris Tertullian.*

AN extra cauſam Montani omnia bene ſcripſerit Tertullianus? cap. j. p. 41
Quid de Epiſtola ad Hebræos ſenſerit Tertullianus? cap. ij. p. 42
A Tertulliano librum Enochi ſuſceptum, vt Canonicum. cap. iij. p. ibid
Prophetias Montani non videri placuiſſe vnquam Pontifici Romano. cap. iv. p. 44
Non eodem modo videri Tertullianum ſemper loqui de conſuetudine. Cap. v. p. 45
Cur licuerit Apoſtolis oppugnare conſenſum Nationum? cap. vj. p. 46
Rem apud Tertullianum eſſe ſubſtantiam. Et omnem ſubſtantiam eſſe corpus. cap. vij. p. 47
An innatum eſſe, & *in*ſectum, ſit propria nota diuinitatis? cap. viij. p. 49
Non omnes putaſſe non factum eſſe, eſſe propriam diuinitatis notam. cap. jx. p. 50
Dogma Arrij diſertis verbis prolatum fuiſſe à Tertulliano. cap. x. p. 51
λόγον apud Tertullianum eſſe ſermonem, apud Latinum interpretem, Verbum. cap. xj p. 52

Quæ

Quæ proferuntur à Tertulliano de Sermone genito ex ratione debere eſſe ſuſpecta. cap. xiij. p. 53
Tertullianum, dum exponit locum prouerb. 8. videri præludere Arrio. cap. xiij. p. 55
Non factum eſſe, & initio carere apud Tertullianum pro iiſdem accipi. cap. xiv. p. 56
Vbi Tertullianus doceat idem eſſe naſci, & fieri, gignere, & facere? cap. xv. p. 57
Quibus rationibus oſtendat Tertullianus terram inanem, vacuam ex nihilo factam fuiſſe à Deo? cap. xvj. p. 58
An dixerit Tertullianus Deum feciſſe terram inuiſibilem, antequam exornaretur Mundus? cap. xvij. p. 59
Putâſſe Tertullianum tenebras eſſe Subſtantiam. cap. xviij. p. 60
De Abyſſo rem eſſe obſcuram apud Moſen, & Iohannem, & ipſum Tertullianum. cap. xjx. p. 62
De ſpiritu Dei qui ferebatur ſuper aquas non ſatis clarè locutum Tertullianum. cap. xx. p. 63
Expenduntur quædam Tertulliani verba de Deo quieſcente poſt conditum Mundum. cap. xxj. p. 65
Exiſtimâſſe Tertullianum in Veteri Teſtamento non appatuiſſe Patrem, ſed Filium. cap. xxij. p. ibid
Reijcitur ſententia Tertulliani putantis non apparuiſſe Patriarchis Patrem, ſed Filium. cap. xxiij. p. 67
Perpenduntur argumenta, quibus conatus Tertullianus oſtendere Patrem in Veteri Teſtamento non fuiſſe vnquam allocutum Patriarchas. cap. xxiiij. p. 69

††† Putaſſe

Digitized by Google

Putaſſe Tertullianum Angelos duxiſſe vxores. cap. xxv. p. 70
Vbinam Angeli ſecundum Tertullianum peccauerint? Cap. xxxvj. p. 71
Cum Virginibus concubuiſſe Angelos, exiſtimare Tertullianum. cap. xxvij. p. 72
Tertullianum exiſtimare non ob ſolum concubitum damnatos Angelos. cap. xxviij. p. 73
Quarum rerum inuentionem Dęmonibus tribuat Tertullianus? cap. xxjx. p. 74
An Aſtrologia ſit inuenta à Dæmonibus, vt exiſtimat Tertullianus? cap. xxx. p. 75
Quando videatur putare Tertullianus peccâſſe fæminas, quæ dicuntur cum Angelis concubuiſſe? Cap. xxxj. p. 76
Putaſſe Tertullianum Angelos corpora, in quibus apparuerunt, ex nihilo feciſſe. cap. xxxiij. p. 77
Quatenus Tertullianus dixerit ſolo Deo minorem eſſe Imperatorem. cap. xxxiv. p. 78
Quatenus dixerit Tertullianus Deos in poteſtate Imperatoris eſſe. cap. xxxv. p. 69
De Gladij poteſtate minus cautè videri locutum Tertullianum. cap. xxxvj. p. 80
Cur putauerit Tertullianus fas non eſſe Chriſtiano poteſtatem gladij exercere? cap. xxxvij. p. 81
An regnum, & Magiſtratus inter pompas diaboli recenſenda? Cap. xxxviij. p. 82
De Cæſaribus, & poteſtatibus non ſemper eadem videri pronuntiare Tertullianum. cap. xxxix. p. 83
Expen-

Expenditur locus D. Pauli Rom. 13. aduerſus Tertullianum. cap. xxxx. p. 84
An prætexta poſſet concedi Chriſtiano? cap. xxxxi. p. ibid
An toga à Tertulliano recenſita fuerit inter pompas diaboli? cap. xlj. p. 85
An homini Chriſtiano liceat militare? non ſatis conſtanter locutum Tertullianum. cap. xliij. p. 86
De confeſſione delictorum ante Baptiſmum perpenduntur verba Tertulliani. cap. xljv. p. 88
Quid traxerit in errorem S. Cyprianum? cap. xlv. p. 89
Quid ſentire videatur Tertullianus de ijs, qui in veteri Teſtamento pro veritate mortui ſunt? cap. xlvj. p. 90
Quædam obijciuntur aduerſus ſententiam Tertulliani de Paradiſo. cap. xlvij. p. 91
Non eſſe eadem apud Tertullianum ſinum Abrahæ, & Paradiſum. cap. xlviij. p. 92
De Martyrum Animabus comparatis cum Chriſto. cap. xlix. p. 93
Cur deſcendiſſe ad inferos Chriſtum putarit Origenes, aut Tertullianus? cap. l. p. ibid
Non dixiſſe eos, contra quos diſputat Tertullianus, vbi putarent eſſe Paradiſum. cap. lj. p. 94
Quibus argumentis conetur Tertullianus oſtendere, animas ante iudicium in Cælum non migrare. Cap. lij. p. 95
De Tertulliani Presbyteri vxore. cap. liij. p. 96
Veriſimile eſſe Tertullianum in Sacerdotio abſtinuiſſe à re Vxoria. cap. ljv. p. 97

An S. Paulus vetuerit, ne viduæ Chriſtianæ nuberent Gentilibus? excutiuntur verba 1. Cor. 7. nubat tantum in Domino. cap. lv. p. 98
An mundus ſecundum ſubſtantiam, an tantum ſecundum qualitatem eſſe interiturum putârint antiqui Chriſtiani? cap. lvj. p. 101
Repugnantia quædam in Tertulliano deprehenditur. cap. lvij. p. 102

DE EDITIONE OPERVM Tertulliani. p. 103

INDEX CAPITVM QVÆ CONTINENTVR in lib. de Vita Chriſtian.

EXiſtimaſſe Chriſtianos veteres, aduerſus mores receptos communi conſenſu fas non eſſe mouere quæſtionem. cap. j. p. 109
De difficultate, quam Chriſtiani in vita ciuili, ſi nollent in Idololatriam incidere, experiebantur. cap. ij p. 111
An omnium rerum communio vigeret apud Chriſtianos? cap. iij. p. 113
Multiplici Idololatriæ fuiſſe obnoxios ludos Circenſes. Cur à Chriſtianis retenti fuerint? cap. jv. p. 114

Chri-

Chriſtianos exiſtimaſſe nefas per fortunam Cæſaris iurare. cap. v. p. 115
Cur per Genium, & Fortunam Cæſaris nollent iurare Chriſtiani? cap.vj. p. 116
Chriſtianos ſolitos iurare, & quidem etiam per ſalutem Imperatorum. cap.vij. ibid.
Milites Chriſtianos videri ſolitos iurare per maieſtatem, aut ſalutem Imperatoris. cap.viij. p. 118
Chriſtianos ferè inuitos Imperatorem appellaſſe Dominum. cap. jx. p. 119
Plurimos Chriſtianos conſueuiſſe accendere lucernas, & coronare fores lætitiæ publicæ cauſa.cap.x.p. 120
Quare Chriſtiani non renuerent accendere lucernas,& coronare oſtia? cap.xj. p 122
Qua ratione poſſint defendi Chriſtiani, qui accẽdebant lucernas? cap. xij. ibid.
Gentiles auerſatos fuiſſe etiam nomen Chriſtianorum perpenduntur verba Tertulliani. cap.xiij. p. 123
Vulgus apud Gentiles multa mala intuliſſe Chriſtianis. cap. xiv. p. 125
Gentiles ſolitos impingere Chriſtianis cauſas publicarum calamitatum. cap.xv. p. 126
Qua ratione à Chriſtianis refutati fuerint Gentiles, impingentes Chriſtianis publicarum calamitatum cauſam. cap.xvj. p. 127
Chriſtianos vndè dictos putarent Gẽtiles? c.xvij.p. 128
Videri antiquos Chriſtianos multas lites inter ſe direміſſe. cap xviij. p. 129
Cur Chriſtiani non videantur iniuiſſe conuiuia cum Gẽtilibus? cap.xjx. p. 130

Qua ratione ſe gererent Chriſtiani imminente naufragio? num ipſi fœnus nauticum exercerent? cap. xx. p. 131.
Chriſtianos non conſueuiſſe frangere, & deſtruere Idola. cap.xxj. p. 132
Quoſdam Chriſtianos fuiſſe Fabricatores Idolorum, nō cultores. cap.xxij. p. 133
Chriſtianos auerſatos fuiſſe libros Gentilium. cap.xxiij. pag. 134.
Si ante Conſtantinum Chriſtiani ſpernebant leges Romanas, cur poſtea eas in ſcholis fuerint interpretati? cap.xxiv. p. 136
Habuiſſe Chriſtianos ædes ſacras, & oratoria. cap.xxv, pag. 137.
Ædes ſacras Chriſtianorum ante Conſtantinum nō fuiſſe appellatas Baſilicas. cap. xxvj. p. 138
Non exigi ſolita ſtipendia Sacerdotum, ſed vnumquemq; pro lubitu contuliſſe. cap.xxvij. p. 139
Chriſtianos veteres non ſolitos mendicare. cap. xxviij. pag. 140.
Videri quandoq; Clericos exercuiſse opificium. cap. *xxjx.* p. 141
An Collegia Chriſtianorum ante Conſtantinum fuerint illicita? cap.*xxx.* p. 142
Qua ratione ſe gererent illi, qui accuſati, quod Chriſtiani eſsent, Chriſtiani autem non erant, vt ſuſpicione ſe purgarent? cap. *xxxj.* p. 144
Antiquos Chriſtianos non conſueuiſse velare Virgines. cap. *xxxij.* p. 145
Di-

Diſcubuiſse in triclinio Chriſtianos, quando inibant Agapas. cap. *xxx*iij. p.146
Quid anſam præbuerit Gentilibus accuſandi, vt prodigas, Chriſtianorum Apagas? cap.*xxx*iv. p. 147
Fæminas quoq; nocturnis cætibus Chriſtianorum interfuiſſe. cap.*xxx*v. p.148
Antiquos Chriſtianos vix quicquam ſuſcepiſse peragẽdum abſq; ſigno Crucis. cap.*xxx*vj. p.149
XV. primos Epiſcopos Hieroſolymitanos fuiſse ex Circunciſione. cap.*xxx*vij. p.150
Fideles Hieroſolymorum videri circunciſionem obſeruaſse vſq; ad Hadrianum. cap.*xxx*viij. p.151
De hæreſi Nazaræorum, qui ſe circumcidebant. cap. xxjx. p.152
Primis Chriſtianis Sabbatum aliqua ex parte feſtum fuiſse. cap. xl. p.153
Quod in Sabbato Paſchæ ieiunium obſeruarent antiqui Chriſtiani. cap. xlj. p.155
Diem ſolis cur voluerint eſſe ſacrum Chriſtiani? cap. xlij. pag.156
Abſtinuiſse à ieiunio Chriſtianos die Dominico, nec ſolitos genua flectere. cap. xliij. p.157
Non licuiſse poſt Baptiſmum ieiunio incumbere. cap. xliv. p.158
Non Iudæorum cauſa, ſed ob præceptum Apoſtolicum veteres Chriſtianos abſtinuiſse à ſanguinis eſu. cap. xlv. ibid.
Mulieres Chriſtianas conſueuiſse ad oſculum conuenire viris, qui mariti non eſſent. cap. xlvj. p.159
De

De oſculo, quo ſe inuicem in Eccleſia excipiebant Chriſtiani. cap. xlvij. p.160
Non videri vllum Senatorem, aut maiorem Magiſtratum fuiſſe Chriſtianum ante tempora Conſtantini. cap. xlviij. p.162
Fuiſſe quoſdam Senatores Chriſtianos ante tempora Conſtantini. cap. xljx. p.163
Veteres Chriſtianos exiſtimaſſe miſſam eſſe faciendam philoſophiam. cap. L. p.164
Quoſdam apud veteres Chriſtianos ſolitos confiteri ſua peccata antequam baptizarentur. cap. lj. p.166
Priuatimne in aurem Presbyteris recenſerent Chriſtiani ſua peccata, an palam in Eccleſia? cap. lij. p.167
Chriſtianos non euulgaſſe myſteria Religionis. cap. liij. pag 169.
Cur totum myſterium Euchariſtiæ euulgauerit Gentilibus Iuſtinus Martyr in Apologia? cap. ljv. p.170
De Antelucanis Chriſtianorum cœtibus. cap. lv. p. 172
An Chriſtiani haberent ea, quæ ſunt imperij? An excommunicatio ſit actus Imperij? cap. lvj. p.173
Antiquos Chriſtianos ſolitos impendere pretioſos odores ſepeliendis corporibus. vnde is mos ſumptus? cap. lvij. p.175
Qua ratione Chriſtiani abſq; periculo Idololatrię iniuerint nuptias? cap. lviij. p.176
An in ritu nuptiarum iuxta morem Romanorum committeretur Idololatria? cap. ljx. p.177
Chriſtianos ſolitos in Eccleſia nuptias contrahere. cap. lx. p.178
Quan-

Qandoq; puellas Chriſtianas nupſiſſe Gentilibus. Cap. lxj. p. 179
Non admodum fauiſſe Chriſtianos ſecundis nuptijs, & ſi eas non damnarent. cap. lxij. p. 180
An apud Chriſtianos locus eſſet veris repudijs? cap. lxiij. p. 181
Videri ſentire Tertullianum, non putaſſe Chriſtianos fore, vt aliquando Imperatores amplecterentur religionem Chriſtianam, cap. lxiv. p. 182
De votis Chriſtianorum, quæ videbantur inter ſe pugnare. cap. lxv. p. 183

INDEX EPIGRAMMATVM,

Et Addendorum.

DE Origene ſe ipſum Eunuchum faciente. p. 185
De eodem facinore. p. 186
Origenem errores hauſiſſe ex libris Platonis. p. ibid
Origenem tandem à Quinta, & ſexta ſynodo fuiſſe damnatum. p. 187
De Iuſtiniano confutante Origenem. p. ibid
De dogmate Platonis, atq; etiam Origenis putantium animas à Cœlo delabi in corpora p. 188
De ſententia Origenis docentis ſolem cupere diſſolui p. 189
De quodam argumento Pythagoræ euertere conantis Orcum. p. ibid

De

De opinione Platonis, & Origenis euertentium æternitatem beatitudinis in Cælo, & ſuppliciorum apud inferos. p. 190
De Conſuetudine Maiorum non contemnenda. p. 193
De vano Enthuſiaſmo Montani. p. ibid
De Pſeudoprophetiſſa Priſcilla. p. 194
Enochũ docuiſſe adfore tandẽ ſupremã Iudicij diẽ. p. ib
Librũ Enochi arriſiſſe Tertull. nunc ipſũ ignorari. 195
De Diſcipulis Chriſti oppugnantibus Nationes. p. ibid
De Tertulliano aſſerente, notam propriam diuinitatis eſſe ingenitum, innatum, & infectum. p. 196
De opinione Tertulliani, ſequeſtrantis omnem animam, apud inferos in diem Iudicij. p. 197
De Terra rudi, ex qua factus eſt Mundus. p. 198
Expenduntur verba Origenis, quibus fatetur conuentus Chriſtianorum aduerſatos fuiſſe legi Romanæ. quotuplex eſſet genus conuentuum Chriſtianorum? Cap. j. p. 199
Cur, & quam anguſti fuerint limites Theologiæ ante Conſtantinum? qua ratione ſeſe deinceps extenderint? cap. ij. p. 201
In vtramq; partem diſputatur de puellis Chriſtianis, quæ nubebant Gentilibus. Deum vetuiſſe ne cum Idololatris inirentur coniugia. cap. iij. p. 204
Aliquos docere nuptias puellæ Chriſtianæ cum Gentili viro irritas reddi tantum iure poſitiuo Eccleſiaſtico. cap. jv. p. 208
An & quatenus Philoſophiæ operam dederit Orgenes, eamq; alios docuerit? Qualis eſſet ſchola Chriſtianorum Alexandriæ. cap. jv. p. 210

PRÆFATIO
IN OPVSCVLVM
de Comparatione dogmatum Origenis.

E*XCELSO ingenio præditi viri etiam errando humano profuerunt generi. nam dum contra torrentem Opinionum receptarum luctantur, ea depromunt, quæ noſtras cogitationes ad ſepoſita argumenta, & non vulgaria lẽmata excitant, atq; inflammant. Abſit verò vt cum ipſis per auia atq; abrupta eamus. Quin veritatis ſic ſectamur tramitem rectum, vt interim verſemus mẽtem in multas partes, et ſimplicitate procul ire iuſſa, ingenti copia pulcherrimarum rerum nobis delitias hactenus faciamus, ne nouitatis amabilem*

Digitized by Google

ſpeciem cum detrimento immobilium ſententiarũ amplectamur. ſic quidem diſſerimus quãdo de Origene nobis contingit cum viris ſapientibus verba commutare. Errauit ipſe, errauit grauiter. quis negat, affirmante Synodo, affirmante S. Patrum ingenti caterua? Sed quia extra ordinem poſitum fuit ingenium, quod attulit ad omnes capeſſendas diſciplinas, quis infitias eat fas eſſe per diſtorta, diſſonaq; dogmata tanti hominis, proficere? Nam, vt alia omittam, quiſquis ob oculos ponit, quæ deuius protulit, magnum faciet pretium operæ, vt Platonicæ Philoſophiæ arcana perſpecta, cognitaq; habeat. Quod vt illi, qui alijs detenti ſtudijs nec volunt Platonem, nec Concilia, et Patres verſant; conſequantur exiguo labore, opuſculum de comparatione Dogmatum Origenis cum philoſophia Platonis, publici iuris facio, te enixè precatus lector, vt tuo more humanitatem, aliorum imbecillitati ignoſcere promptam, ad legendum adferas. Vale.

PAGA-

Digitized by Google

PAGANINI GAVDENTII

De Comparatione dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis.

OPVSCVLVM.

Cur demum in quinta Synodo damnatus fuerit Origenes? Cap I.

NE CVNCTERIS, ne trepides, quando de Origene inter hęreticos recenſendo agitur. habes præeuntem quintam Synodum Oecumenicam. in ea actum fuit de erroribus Origenis, Didymi, Euagrij, lectiſq; Eulogij, Cononis, & Pancratij Monachorum libellis; quos contra dogmata Origenis obtulerant, prolatiſq; in medium ſcriptis Iuſtiniani, quæ à Vigilio Papa laudata fuerant, om- *Niceph. 17. cap.*

 nes

Digitized by Google

nes patres vno ore Origenem damnarunt, eiusq; dogmatibus, anathema dixêre. Anathematiſmos nouem ſtrinxêre Antiſtites. in impia dicta, vt non ſemel, ſed nouies ſit profligandus, eijciendus è cætu piorum, explodendus. quid memorem virum clariſſimum, atq; Sanctiſſimum Epiphanium, qui in luculento opere de hæreſibus conſcripto nigrum theta ſententijs Origenis præfixit, eaſq; non ſine indignatione iugulauit. An latuit Sanctiſſimum Epiphanium, quid Catholici homines de Origene ſentirent? recenſere poſſem Auguſtinum, ſi cui ſatis non eſſet Vincentius Lirinenſis, aut non conquieſceret in S. Hieronymo. Sed videſis, inquies, quid moliaris, ſi Origenem damnas; cum viueret, cum doceret, imò floreret, omnes ob ingentem doctrinam in ſui admirationem raperet, nullus ei prauorum dogmatum cauſa dicam ſcripſit, à nullo ad ſynodum eſt vocatus. ſic obijt. opera longè, latèq; fuerunt dilata. Cur non illicò excerpſere Epiſcopi, profligâruntq; quæ noxia erant, ne porrò nocerent? negligētiæ ne notā eis impegeris? Didymus, Chriſoſtomus, alij defenſionem magni doctoris ſuſceperunt. An poſt mortem quiſquam poteſt damnari? peruulgata eſt Iuriſconſultorum ſententia, omnia crimina finiri morte. Fortè reſponderimus, Antiſtites olim ſic latuiſſe ſæuientibus Cæſaribus in religionem Chriſtianam, vt non licuerit vacare accuratæ lectioni librorum Origenis. Tandem deprehenſum eſt venenum, & ne ſerperet, data opera. Animaduerti verò poſſe in vita functos, poſſe damnari memoriam eorum, qui peſtiferas

ſen-

Digitized by Google

ſententias ſuis ſcriptis inſeruerunt, te docet non vno exemplo quinta Synodus, quæ ob tria (vt vocant) capitula in notos viros anathema ſtrinxit. ipſi tamen obierant. ſed ne mireris altercatos inter ſe fuiſſe eximios homines Origenis cauſa. nam præclara cæteroqui ediderat opera. nec palam diſceſſerat ab Eccleſia. non enim legitur Catholicis dixiſſe, veſtras vobis habete res. religionem tamen Chriſtianam prodiderat ſupplicij metu. id factum poſtmodum lacrymis eſt proſecutus, damnauitq; vltrò animi ſui imbecillitatem, quod ceſſiſſet iudici intentanti fædam labem. nec parem putes eſſe Origenem Tertulliano. is enim ad cætum Montaniſtarũ deſertis Catholicis tranſiuit, vt clàm neminem potuerit vnquam eſſe, quis Afer ille fuerit.

Exemplaria Origenis non fuiſſe corrupta. Cap. II.

ORigeniani nominis ſtudioſi clamant corruptos fuiſſe ab Hæreticis ipſius libros, infandaq; dogmata tributa nolenti. non hanc defenſionem amplectitur Hieronymus. repugnat Iuſtinianus Imperator; nec concinit Nicephorus. vacillat, & labaſcit quiſquis non alio tibicine fulcit tantam molem. Cur defenſores non protulêre exemplaria incorrupta? cur in omnibus eędem ſententiæ totidem verbis exaratæ deprehenduntur? non potuêre vna die, vno auctore longè latèq; inſeri placita veritatis expertia. Non quinta

Digitized by Google

Synodus anathema, ſi Catholicus fuiſſet, neq; vnquam erraſſet, dixiſſet. Aſſertores Adamantij fuêre Euſebius, & Didymus. Deus bone! quanti viri, quam induſtrij. ambo fatentur ſcripta fuiſſe ab Origene, quæ ſub eius nomine circumferuntur. reperiſſent proculdubio germana exemplaria, vt calumniam depellerent, profligarent. non inficias iuerunt ſic locutum Origenem. Senſum excuſare conati ſunt. vide S. Hieronymum Ep. ad Pammach. & Oceanum.

An fas fuerit Iuſtiniano componere librum contra Origenem? Cap. III.

OEcumenica Concilia tanti fecerunt Imperatorem Iuſtinianum, vt ipſius ſcriptis tanquam Doctoris Eccleſiæ vſa fuerint. nonne tota ipſius doctiſſima diſputatio contra Origenem inſerta eſt in actis Quintæ Synodi? dolendum verò eſt ad nos integra non perueniſſe acta illa. multa enim abſq; dubio in laudem ipſius legerentur, approbatis Anathematiſmis ab ipſo cuſis in Origenem, & Origeniſtas. Neq; hoc ſolum opuſculum compoſuit pro Catholica fide imperator, verum & alia edidit, librum nempè contra Neſto-
7. 10. rianos, & Acephalos, ex quo profertur in Sexta Synodo teſtimonium. ſunt hæc verba in Actis. *Item relectum eſt ex eodem* codicillo teſtimonium Iuſtiniani ἐυσεβεστάτου βασιλέως pijſſimi Imperatoris. compoſuit idem Imperator dogmaticam epiſtolam ad Zoilum Patriarcham

Ale-

Alexandriæ, ex qua rurſus proferuntur nonnulla in iiſdem actis his verbis. *Relectum eſt ex eodem codicillo teſtimonium eiuſdem* ἐν ἁγίοις *Sanctæ memoriæ Iuſtiniani*. rurſus vocatur infra εὐσεβέστατος *piiſſimus imperator*. hæc ſatis eſſe queunt, vt intelligamus, quantum roboris inſit Iuſtinianeæ diſputationi editæ contra Origenem. Si dicas quæ ſunt Theologorũ promittere Theologos, & fabros tractare fabrilia, Iuſtinianum autem fuiſſe Imperatorem, & Laicum, atq; adeò oportuiſſe eum eiuſmodi diſſertationes relinquere Epiſcopis, reſponderim, Imperatorem fuiſſe rerum Sacrarum periti ſſimum. Cur nos volumus ſapere ſupra duo Concilia Oecumenica, quæ ſuo teſtimonio nobis Iuſtiniani monumenta Eccleſiaſtica commendarunt? licuit alijs Cæſaribus de ijs ſcribere libros, quorum peritia pollebant, cur fas non fuiſſet Iuſtiniano, quandoquidem res diuinas callebat apprimè, in hæreticos ſtringere telum ſuæ orationis? nam quanti fit hodièq; liber Henrici Octaui, quem contra Lutherum Sectariorum Principẽ edidit? vtinam inſtituti, & propoſiti eum poſtmodum non pœnituiſſet.

Saltem certo conſtare à Sexta Synodo damnatum Origenem. Cap IV.

EDita ſunt aliquot abhinc annos opera Origenis, in quorum fronte cubitalibus, & quadratis litteris appellatur primus Doctor Eccleſiæ poſt Apoſto-

los.

los. Miror potuiſſe tali commendari elogio. Sunt etiam, qui non audeant tota animi ſententia pronunciare, num inter hæreticos damnatos ab Eccleſia ſit receſendus. At ijdem ambegerint, num quando Synodus Oecumenica alicuius memoriam damnat, eumq; inter hæreticos famoſo nomine recenſet palàm, ipſe inter damnatæ memoriæ homines referri queat. Actio vndecima Sextæ Synodi nobis omnem eximit ſcrupulum. ibi namq; legimus: *Anathema in perpetuum, & catathema à Sancta, & conſubſtantiali Trinitate ſit Origenes, qui & Adamantius.* Nulla amplius indigemus diſputatione, cum extra omnem aleam controuerſię ſit poſita Synodi auctoritas, in excelſo faſtigio ſummi roboris collocata. Adduntur Origeni ibidem *Dydimus, & Euagrius* μυσταγωγὸι πανμμίαροι *primi ſecretales fœdiſſimi*; aut præcipui myſtagogi fœdiſſimi.

Origenem induta perſona Doctoris Chriſtiani conatum obtrudere ſententias Platonis. Cap. V.

Q*Vid enim*, loquens de Origene Iuſtinianus inquit, *aliud expoſuit Origenes, quàm Platonis, qui Paganorum inſaniam dilatárat, doctrinam?* Etſi autem in multis ſenſerit cum Platone Origenes, non tamen voluit videri ſua dogmata à Platone hauſiſſe. Depromebat igitur ex Sacra Scriptura dicta, quibus ſuas

ſuas muniret ſententias. hinc adeo factum eſt, vt cum Platonicis opinionibus ea coniunxerit, de quibus Plato ne quidem ſomniando cogitauit. An enim locutus eſt Plato de Seruatore ſæpius crucifigendo in Cœlo, de Spiritu Sancto, alijſq; ſimilibus, de quibus tamen multa prolata ſunt ab Origene? vt verò Origenes ſpecie Chriſtiani doctoris indutus venditare voluit dogmata Platonis, ſic & Philoſophus in Concilio Nicæno, vt videre eſt apud Gelaſium Cizycenum, ex Sacris litteris deprompſit dicta, quibus Arrij impiam muniret ſententiam. Si nempè Origenes, & Philoſophus palàm defendere ſe dixiſſent Platonicas opiniones, exploſi illicò fuiſſent. vt verò Origeni conciliet odium Iuſtinianus, ait eum conari Paganorum errorem tueri, & Chriſtianorum fidei miſcerè fabulas.

Secundum Origenem non eſſe Deum infinitum. Cap. VI.

AFfirmauit Origenes finitum eſſe Deum, nec quēquam debere offendi, ſi audiat modum poni eius poteſtati: id hauſit à latebris philoſophiæ. Natura infinitum auerſatur. infinitum actu ignoratur à diſcipulis Ariſtotelis. Si infinitum quantitatem complectitur, & Deus quantus non eſt, inficias ieris infinitum eſſe. Mentibus, Deo, qui tribuerunt infinitam virtutem, magnam, valdèq; ingentem eſſe interpretati ſunt. Deus

eſt

eſt hoc, & non illud. Cur finitum eſſe neges? ſi perua-dere non liceret id, quod Deus eſt, quid tãdem fieret rerum vniuerſitati? Tanta fecit, inquit Origenes, *quanta ſub manum comprehendere, & habere poterat, & continere ſub prouidentia ſua: quemadmodum, & tantam conſtruxit materiam, quantam adminiſtrare, & exornare poterat*. audin differentem? Te hæc cõmouent. fortè maius robur ineſt ijs, quæ ſequuntur. in quarto Periarch. *Infinita complecti natura impoſſibile eſt. nam cum ſemel finita ſint, quæ Deus ipſe comprehendit neceſſe eſt eſſe terminum, ad quot vſq; finita ipſe ſufficiat*. quæ repelluntur, & profligantur à Theologis. nam non defuit Vorſtius, nõ Socinus, qui Origenis dogma ex orco reuocare moliti ſunt.

Gradus in Diuinitate hauſiſſe Origenem à Platone. Cap. VII.

APud Platonem ſunt quidam gradus diuinitatis, quorum ſummus apud vnum eſt, quem à ſe ipſo eſſe ait, à quo profectum exiſtimat quicquid diuinitatis reperitur in minoribus dijs. Hoc cum ante oculos haberet Origenes, noluit exęquare filium Patri, ſed ipſum infra Patrem proximum à patre collocauit. En verò gradus diuinitatis, quos reperire eſt apud Origenem. ſunt verba Iuſtiniani de ipſo: *auſus eſt dicere: Patrem eſſe maiorem filio, filium Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum alijs Spiritibus*. Sed ſatius fuerit ipſum audire Origenem lib. 1. Periarchon. inquit enim. *Quod Deus quidem*,

dem, & Pater omnia continens ad vnum quodq; Entium peruenit eſſe vnicuiq; de ſuo impertiens ὢν γὰρ ἐστιν *ipſe .n. qui eſt*. malo enim ſic legere locum. vides exiſtimare Origenem vnum tantum eſſe, qui eſt à ſe, à nemineq; quicquam accepit. reliqua omnia, inter quę collocat filium, ab ipſo manâſſe. Nam ſi filius eſt, genitus eſt à Patre. non autẽ aſſequitur quî dici poſſit genitus, ſi factus non eſt. facit igitur ipſum ſecundũ à Patre, in ordine tertiũ ponit Spiritũ ſanctũ. *Eſt*, inquit, *filius ſecundus à Patre adhuc etiam minor eſt Spiritus ſanctus, ad ſolos ſanctos perueniens. Ita ex hoc maior eſt poteſtas Patris præ Filio, & Spiritu ſancto, ampliorq; filij præ Spiritu ſancto, ac rurſum præſtantior ſancti Spiritus poteſtas præ alijs Entibus ſanctis.*

Origenem putaſſe filium eſſe Deum, ſed factum. Cap. VIII.

NON Origenes, non Origenem ſecutus negauit Arrius filium eſſe Deum, & Spiritum ſanctum. At, inquies, dixêre filium eſſe creaturam, & Spiritum ſanctum. hæc autem contrarijs luctantur frontibus, vt creatura eſſe nequeat, qui Deus eſt, quiq; Deus in numerum rerum conditarum referri nequeat. Reſpondere eſt, nos Chriſtianos Catholicos omninò ſic ratiocinari. Ideò affirmamus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe ὁμουσίους eiuſdem ſubſtantiæ, ne plures cum gentibus videamur adorare Deos. Aſt apud Ori-

genem prodeűtē,ex ſchola Platonis ſummus gradus diuinitatis conditus non eſt, hoc eſt, Deus ſummus conditus non eſt. quicquid verò ab ipſo profectum eſt, & ſi præſtantiſſimum ſit,atq; diuinum,factum eſt. vt apud ipſum poſſit quis eſſe Deus, ſed inferior ſummo, & ſi creatus ſit. videbat Origenes Verbũ in ſacris litteris eſſe filium. Nec intelligere poterat, eſſe genitum Filium, ſi ſubſtantia ipſius creata non foret. quod ſi facta eſſet ipſius ſubſtantia, iam videbat conſequi eſſe aliam à ſubſtantia Patris. ita redigebat Filium in numerum rerum factarum. Catholica autem Eccleſia docet Filium eſſe eiuſdem cum Patre ſubſtantię,illum enim,qui factus non eſt, vnum tantum eſſe oportet, inq; vnitatem eiuſdem ſubſtantiæ venit Spiritus ſanctus; quod latius à Theologis explicatur, atq; defenditur.

De qua ſapientia ſint exponenda ea, quæ leguntur cap. viij. Prouerbiorum. Cap. IX.

Filius eſt ſapientia Patris. Sapientia creata eſt à Patre. hinc colligit Origenes redigendum eſſe in numerum creaturarum Filium. profert Prouerbiorum cap. viij. in quo ipſa ſapientia ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ *Deus creauit me initium viarum ſuarum.* hoc millies Arriani ingeſſerunt, cum contra Catholicos diſputarent. in Concilio verò Nicæno Philoſophus moleſtiſſimus fuit Epiſcopis ſanctiſſimis prolata expenſaque eadem ſententia, vt eſt videre in Actis apud Gela-

ſium.

ſium Cizycenum. Res, eo tandem deducitur, vt Antiſtites affirment ſermonem ibi eſſe de creata ſapientia, quæ apparet in hac mundi pulcherrima mole. S. Hieronymus vertit: *poſſedit me*, vt facilius reſpondeatur Arrianis; ſed cur vniuerſum Concilium amplexum eſt verſionem ſeptuaginta, neq; de alia quàm creata ſapientia verba Sapientiæ expoſuit? cum præſertim v. 14. dicat: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*, & v. 15. *ante colles ego parturiebar*. maior profectò eſt auctoritas tot Antiſtitum, & quidem antiquiſſimorum, quam vt ei obſtrepere liceat. dicemuſne nullum peritum fuiſſe linguæ hebraicæ in tam illuſtri conſeſſu? cur cum extarent tot verſiones, ex nulla tamen aliter lecta ſunt verba Prouerbiorum? in ſummo auctoritatis faſtigio tunc collocata eminebat ſeptuaginta Seniorum verſio. an inſcitiã, imperitiamq; tot ſanctiſſimis viris impingeremus? Nec propterea deſino venerari verſionem noſtram vulgatam Latinam. Tantum dico tunc meliorem ſeptuaginta Interpretum verſione Sacr. Scripturę editionem nullam fuiſſe, hodieq; nobis licere cum Patribus Nicænis verba illa de creata Sapientia interpretari. Qui his non contentus eſt, legat ſanè, quæ doctè diſſerit Cornelius Ianſenius ad viij. cap. Prouerbiorum, & alij, qui ſic exponunt Salomonẽ, vt nec faueant Arrio, nec tamen neceſſe habeant ſolam ſententiam, quã præferunt ſeptuaginta, amplecti.

Quatenus Origenes dixerit à filio non poſſe videri Patrem. Cap. X.

MAximum eſt interuallum inter conditorem rerum, reſq; conditas. quis dubitet? putabat Origenes filium à Patre fuiſſe conditum, teſte Iuſtiniano in Epiſtola, quæ legitur in fine quintæ Synodi. Quid mirum ſi deinceps dixit non poſſe à Filio Patrem videri? videre enim apud Origenem nihil, vt puto, aliud eſt, quam perfectè cognoſcere, & ex aſſe. Modus enim loquendi ſumptus eſt à vulgato more, quo exiſtimamus tunc aliquid à nobis omninò ſciri, cum oculis illud vſurpemus, ſatisfaciamuſq; deſiderio noſtro intuendo, paſcendoq; oculos. hinc cognitio animalium, & plantarum appellata eſt hiſtoria, quia oculata inſpectione haurienda eſt talium rerum cognitio. Rectiſſimèque quis hiſtoriam anatomicam nominauerit inſpectione accuratam omnium partium corporis humani. quid quod tunc beati erimus omni ex parte, quando videbimus Deum ſicuti eſt. hinc quamuis nec Deus corporeus ſit, nec oculis, qui corporei profectò ſunt, cerni queat, factum tamen eſt, vt diuinitatis contemplatio, quæ beatitudo cæleſtis eſt, appellaretur à noſtris Theologis viſio beatifica, & intuitiua cognitio · quæ non alterius eſt, quam mentis & intellectus. nec defuere, qui exiſtimarent Deum hoc modo ab intellectu noſtro videri non poſſe, cum maximum ſit interuallum inter Deum,

interq;

interq; intellectum humanum. Cum igitur putaret Origenes Filium eſſe factum, mirum non eſt ſi dixerit quoq;, à Filio non poſſe videri Patrem.

Arrium Origenis fuiſſe germen. Cap. XI.

ORigenis germen prolemq; dixerimus Arrium. in ſtudijs philoſophicis educatus, atq; enutritus vir cæteroqui magnus noluit Catholicã amplecti ſentẽtiã, quæ Filium exæquat Patri, hoc eſt ait eſſe eiuſdem ſubſtantiæ. Nam Plato, quem Origenes admirabatur, vnum ſummum ait eſſe Deum. Minores Deos à ſummo factos putat. Ita fateri lubuit Origeni Filium eſſe quidem Deum, ſed conditum, ſed infra genitorem poſitum, ipſi non æquandum, non eiuſdem ſubſtantiæ. En tibi verba Origenis lib. 1. Periarchon. *Deus quidem, & Pater omnia continens ad vnum quodq; Entium peruenit, eſſe vnicuique impertiens de ſuo; ita ex hoc maior eſt poteſtas Patris præ Filio.* In quarto, inquit, Filium de voluntate Patris generatum, *primogenitum omnis creaturæ, creaturam, ſapientiam.* Munit ſe decantata ſententia Prouerbiorum, qua Sapientia videtur dicere, ſe creatam initio viarum Dei. id millies in certamine expoſitum ab Arrio, Arrijq; diſcipulis. cumulum aceruumq; non facio eorum, quę de Origene, Arrioq; malo coruo, malo ouo in ſcriptoribus Eccleſiaſticis feruntur.

Vid. quint. Synodum.

Quid

Quid nomine duorum Seraphin Iſ.6. vel duorum Animalium Habac.3. intellexerit Origenes? Cap. XII.

ORigenes affirmauit Filium, & Spiritum ſanctum adeò infra Patrem eſſe collocandos, vt ei inſeruiant, laudes decantent. in quarto enim Periarch. affirmat duo illa Seraphin, quorum fit mentio Iſaię vj. & quæ clamabant: Sanctus, Sanctus; fuiſſe Filium, & Spiritum ſanctum. non dubitat etiam ſententiam illam Habac. cap. 3. interpretari de ijſdem. inquit enim Propheta: *In medio duorum animalium cognoſceris.* Ergo quicumq; legit, vel narrationem Iſaiæ, vel verba Habacuc, vitet vt ſcopulum Origeneum delirium.

Num putauerit Origenes Solem, Lunam, & Stellas eſſe Deos? Cap. XIII.

EO' res Origeni deduci videtur, vt affirmet Cælos eſſe Deos cum Platone, cumq; alijs Gentilibus. Cur enim Plato putauit eſſe Deos? quia mentem, & rationem eis tribuebat. paria facit cum Platone Origenes. hinc videtur eidem cum Platone inuolui ſententiæ de multitudine Deorum. Aſt Origenes, quia Chriſtianus erat, nuſquam, quod ſciam, aſſeruit Cælos eſſe Deos. quod enim factum eſt à ſummo conditore, apud Chriſtianos Deus eſſe nequit. Origenes noue-

nat ex S. litteris omnia hæc, quæ oculis noſtris exponuntur à Deo condita fuiſſe. apud Platonicos verò non ideò quis excluditur ex numero Deorum, quia factus eſt, cum Plato ſentiat Deos minores à magno Deo factos, ipſoſq; deinde feciſſe viſibilem hunc mundum, qua de re in meis diſſertationibus philoſophicis.

Qua in re diſſentiat Origenes cum Platone, quando de anima, & mente Solis agitur. Cap. XIV.

ETSI cum Platone exiſtimaret Origenes Solem, Lunam, & reliquas Stellas anima, & ratione eſſe præditas, non tamen cum eodem dixit eſſe Deos. hoc enim effatum præcipitem dediſſet Chriſtianum in barathrum Gentilium, qui aiebant plures eſſe Deos, quos etiam colebant diuinis honoribus. in eo quoque Origenes diſcedit à Platone, cum inquit, ſolis animam antiquiorem eſſe alligatione ad corpus. neq; vnquam Plato affirmauit cupere. ſolis animam diſſolui à corpore. Non enim Plato animam Solis dixit eſſe ex earum genere, quæ deſcendunt in corpora, atq; ab ipſis ſeparantur. nam à Iuliano Imperatore in encomio ſolis dicitur vniuerſum, in quo etiam Sol continetur, tanquam quædam à primo, & maximo quodam Ideæ bono nata proles, ſubſiſtere ibi in permanentem quandam ſubſtantiam ex æternitate. ſed alibi commodius de ſententia Platonis agetur.

Digitized by Google

De verbis S. Pauli: Cupio diſſolui. *fuiſſe ab Origene translata ad Solem quoque.* Cap. XV.

ANimæ melius eſt extra corpus, quàm in corpore, ſi in corpora velut in ergaſtula detruſæ ſunt, vt pœnas luant. hoc cum hauſiſſet ex Platonis ſcriptis Origenes, deinceps more Platonico interpretatus eſt verba Pauli dicentis: *cupio diſſolui, & eſſe cum Christo*, vt indicauerit animam ſuam corpore velut carcere premi. poterat tamen cupere diſſolui, vt eſſet cum Chriſto abſq; eo, quod cum Platone diceret animam Pauli fuiſſe antequam coniungeretur corpori, & cecidiſſe, ſiuè detruſam è cælo: nam Chriſtiani cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto, vt æternam adipiſcantur in cœlo beatitudinem, neq; cogantur deinceps luctari aduerſus carnem, contraq; malos dæmones. Satius enim eſt animam tranſire in Cælum, Decq; ſumma inherere lætitia, quàm in corpore cum tot difficultatum confli-ctari monſtris. cur verò cupit S Paulus diſſolui è corpore, ſi alibi videtur dicere ſe viuum deprehendendum adueniente ad iudicium Chriſto? ſigillatim de hoc modo diſſeram. Pergit verò in ſuis nugis Origenes, & inquit ſolem quoq; cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto. tribuit nempè ſoli animam, animæ autem ægrè eſt in corpore. Sic putat animam Solis cupere ſeparari à cor-

pore

pore. non ſimplici peccat vice Origenes. tribuit ſoli animam. errat. putat animam Solis ex earum genere eſſe, quo ſunt noſtræ. dixerat in corpora, quoniam transfert ad Solem. Ridiculè, imò impiè. nam in opinionem ipſius cuſum videmus anathema.

Origenem cum Platone putaſſe anima, & ratione prædita eſſe ſidera.

Cap. XVI.

ETSI plerique omnes, qui iam philoſophantur in Scholis negent Ariſtotelem exiſtimaſſe cœlum eſſe præditum anima intelligente informante (cum Scholaſticis loquor) ſic tamen Stagiritam interpretatus eſt Alexander Aphrodiſæus, vt id dicatur ſenſiſſe, putaſsèq; cœleſte corpus informari intelligente anima. Plato ſanè, & Platonis diſcipuli dixere intelligentia pollere, & ratione præditos eſse Orbes cæleſtes, diuinitate inſignes. nam de mente motrice, quam Peripatetici cõmendant, vix quicquam apud ipſos reperire eſt. Quod verò cæleſtibus corporibus vim intelligendi, & rationem tribuerint, opinatiq; fuerint eſse Deos id ſæpè reperire eſt in Platonicorum libris. hic contentus ero paucis excerptis ex Encomio Solis conſcripto à Iuliano Imperatore. nam pleraq; omnia accepta fert

Iãblicho celeberrimi nominis Philoſopho Platonico. Sic autem loquitur Iulianus: *quid igitur, non vniuerſus mundus vnum eſt animal, totum verò tota anima eſt, & mente plenum. huius duplicis vniformis perfectionis inquam eius, quæ in intelligibili omnia in vno cõprehendit, & complectitur, ipſa Regis Solis perfectio media vniformis eſt in intellectualibus conſtituta Dijs.* Ait Solem coniungere potentiam, quæ ab intellectualibus incipit, & deſinit in corpoream. aſserit ibidem vnum eſse omnium opificem. multos autem, qui in cælo circumuerſantur, & circumeunt fabriles Dij. dicit poſtea ex vno proceſsiſse Deo vnum ab vno intelligibili per mundum Regẽ ſolem intellectualium Deorum, vt medium in medijs conſtitutum. Ait deinceps eſse Deos affines Soli, & congenitos. & ſubdit ineſse ſoli ſermonem, & communicare ſimplicitatem cogitationum, nec diſſimulat ſolem æqualia conſtituere bona Dijs, qui ſub ipſo ſunt, & cum ipſo proficiſcuntur. hæc & non abſimilia legere eſt in eodem Encomio.

Platonis igitur, & Platonicorum veſtigia ſecutus Origenes *affirmauit Cœlum, & Solem, Lunam, & Stellas, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, animata eſſe, & quaſdam eſſe virtutes ratione vtentes.* ἔμψυχα, καὶ λογικάς τινας εἶναι δυνάμεις. Sunt autem plura effata in hoc dogmate Origenis. Nam quæri poteſt an cœlum, ſit anima pręditum, an idem ratione vtatur, an deniq; aquæ, quæ in S. litteris dicuntur eſſe ſuper Cælos, ſint quædam virtutes ratione præditæ, an aquæ propriè ſic dictæ. primum proferri videtur ab Origene in 4. Periarchon., li-

uſtinianus ro quinta ynodo.

cet.

cet ipſe de Sole tantum loquatur. id, quod à Iuſtiniano extenditur quoq; ad Stellas, & Lunam, vt intelligamus Origenem dixiſſe Solem, & Lunam, & Stellas eſſe prędita anima. Ratione autem vti cœlum non dixit diſertis verbis Origenes, ſed id videtur ex ipſius verbis colligi, inquit enim in 4. Periarchon., *quod porrò Solis anima antiquior ſit alligatione ad corpus concluſum iam eſt ex comparatione hominis ad ipſum*. ibidem ait Solem quoq; dicere ſe cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Nam ſi anima Solis fuit ante Solem, & ſimilis eſt animæ humanæ, quam Origenes creatam ante corpus ait, ſi etiam Sol cupit diſſolui à corpore, videtur anima ipſius eſſe intelligentia prædita. nam cæteroqui non videretur poſſe eſſe extra corpus. idem pronunciat de anima Lunæ, cæterarumq; Stellarum. de aquis ſingulari agam capite, ne hoc nimis prolixum euadat.

Cur dicatur cœlum enarrare gloriam Dei? Cap. XVII.

COelum enarrat gloriam Dei. hinc infert Origenes eſſe præditum ratione. nam niſi quis ratione vtatur, nuſquam gloriam Dei enarrabit. Reſpondendum fuerit, vt alibi indicaui, dici cœlum enarrare gloriam, quia materiam extollendi Deum nobis præbet ampliſſimam. Locus verò, quo monentur aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudare nomen Domini, per proſopopeiam explicandus eſt, nam & nix, & grando iubentur idem præſtare.

An hæreſeos ſit notandus, qui ait cœlum eſſe præditum anima? Cap. XVIII.

QVæro an hæreſeos ſit notandum effatum, in quo cœlum dicitur eſſe præditum anima informante? (loquor cum Scholis) in affirmantem ſententiam quis iuerit, quia in 5. Synodo anathem. 6. hæc leguntur verba: *Si quis dicit Cœlum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & aquas, quæ ſuper Cœlos ſunt, animatas, & rationabiles eſſe quaſdam virtutes anathema ſit.* Quid clarius fieri poteſt? & videntur damnari etiam illi, qui cœlum intelligentiam aſſiſtentem habere dicunt. nam Synodus abſolutè non fert cœlum dici animatum. Si verò habet animam motricem adſtantem, animam habet. nam Patres nuſquam videntur amplexi fuiſse dogma Ariſtoteleum, & exiſtimaſſe cœlos moueri à mentibus quibuſdam. Aſt hodie pleriq; omnes ſuſcipiunt peripateticam ſententiam. Perpendi verò velim aliud eſſe, aſſerere cœlum eſſe animatum, aliud affirmare, eſſe præditum ratione. hæc verò duo coniunguntur in anathematiſmo. Ergo anathemate feritur quiſquis ait cœlum eſſe præditum anima, & ratione. Num verò ſi quis ſimpliciter dicit cœlum eſſe præditum anima anathemate eſt percutiendus? Conſtat magni nominis viros in ea fuiſſe ſententia, quam nuſquam damnauit Eccleſia. Quæſtio verò eſt diſquiſitione digna, an anathematiſmus iſte cum reliquis ſit eiuſdem roboris, ac ſi

acta.

acta Synodi quintæ integræ extarent? anathematiſmus, de quo agitur non eſt profectus à Synodo, ſed à Iuſtiniano, vt verò anathema aliquod hæreſeos hominem damnet non ſatis eſt, ſi hiſtoricorum nonnemo referat ſententiam damnatam ab aliqua Synodo, ſed neceſſe eſt, vt totidem verbis in ipſa Synodo legatur. Res eſt digna, in qua ingenium acutorum Theologorum ſe exerceat. qui tamen norunt ſaltem fas non eſſe tueri talem ſententiam, niſi quis temeritati ſe velit obnoxium reddere.

Mendum deprehenſum in ſexto Anathematiſmo contra Origenem. Cap XIX.

IN Anathematiſmo ſexto apud Iuſtinianum in 5. Synodo puto eſſe mendum. inquit enim. *Si quis dicit aquas, quæ ſuper cœlos ſunt* ἐμψύχους καὶ ὑλικὰς εἶναι δυνάμεις *animatas, & materiales eſſe virtutes.* at in eadem diſputatione p. 643. tom. 2. Concil. General. edit. Romana legimus: καὶ Λογικάς Τινας εἶναι δυνάμεις. Cur dum enarrat ſententiam Origenis Iuſtinianus diceret eum putaſſe aquas, quæ ſuper cœlos ſunt eſſe rationales quaſdam virtutes, dum verò opinionem ferit anathemate, appellaret virtutes materiales? materia certè & ratio inter ſe pugnant. In anathematiſmo igitur puto legendum non ὑλικὰς ſed λογικάς. quam facilè enim λογικὰς potuit tranſire in ὑλικάς? & cur quæſo vocaret virtutes, ſed materiales? certè putaſſe Origenem aquas *Vide Sixtũ Senenſem in Annot.*

illas

Digitized by Google

illas eſse Angelos bonos multi affirmant.

Quatenus hæreſeos damnetur, qui ait aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, eſſe virtutes & mentes. Cap. XX.

SI quis allegoricè interpretaretur ea, quæ in S. Scriptura de aquis ſupra cœlos collocatis dicuntur, non ſtatim, vt exiſtimo, hæreſeos foret notandus. Origenes verò anathemate percellitur, quia aquas dixit eſse virtutes intelligẽtia præditas, has autem ipſas affirmauit eſſe Stellas, & ſidera. clarius ſi potero, quod ſẽtio, proferam, ſi quis aſsereret aquarum nomine ſignificari Angelos, hos verò non affirmaret eſſe cœlos, non hæreſeos poſtularetur, vt ego quidem puto. Aſt ideò dicere aquas eſſe virtutes ratione præditas; vt cœli ſint mentes, & ſint ratione præditi, hoc verò eſt, quod Anathematiſmũ in caput Origenis parauit. neq; enim affirmare nos par eſt, ſidera intelligentia pollere.

Quatenus aquæ in ſac. litteris dicantur laudare Deum. Cap. XXI.

QVod aquæ, quæ ſuper Cælos eſſe dicuntur in ſac. litteris, ſint virtutes quædam ſpirituales, & incorporeæ ex eo videtur ſibi poſſe collige-

ne Origenes, quoniam in ſac. litteris dicuntur laudare Deum. quis obeat eiuſmodi munus, ratione ſi deſtituatur? aduerſus hanc ſententiam diſſerit S. Baſilius ſermone 3. in hexahemeron. nam etiam Cæli in Pſalmo 19. dicuntur enarrare gloriam Dei, & firmamentum opera manuum eius annuntiare. nemò propterea dixerit Cælum anima eſſe præditum. nonne ſanguis Abel dicitur clamare ad Deum? hinc ne ideò deduces anima præditum fuiſſe ſanguinem? clamor eſt methaphoricus. Cæli autem enarrant gloriam Dei, quia magnam nobis ſuppeditant materiam extollendi Deum optimum maximum.

Videri Origenem amplexum Ideas Platonis. Cap. XXII.

Videtur Origenes amplexus fuiſſe Ideas Platonicas, quandoquidem ſcribit lib. 1. Periarchon πάντα τὰ γένη, καὶ τὰ εἴδη ἀεὶ ἦν. *genera omnia, & ſpecies ſemper erant.* Singularia verò numerò exiſtimauit æterna non eſſe, ſed oriri, & interire. nam ſubijcit ibidẽ: *Non ita de ſingularibus differentibus numero dixerit quiſpiam.* dices, ſolem differre numero à Luna & eſſe ſingularem, vnde colliges interire eum poſſe, neq; perennem eſſe, cum tamen ſenſus teſtetur interitui non eſſe obnoxium. Reſpondere eſt, in ſchola Platonis non dare ideas earum rerum, quæ ſemper ſunt, neq; oriuntur, aut intereunt. Ideæ enim ideò factæ dicun...r à Deo ne inter-

Google

intereuntibus quarumdam rerum indiuiduis, ipſæ quoque tollerentur è medio. Quæ autē videmus ſemper eſſe, ipſa ſibi ſunt ideæ. Eſt igitur ſingularis Sol, ſed non ex eorum genere, quæ apud nos oriuntur, & pereunt.

Relabi Origenem ad cultum plurium Deorum. Cap. xxiij.

IN nodum ſe induit Origenes, quem certè ſoluere non poterat. nam ſi Filius creatura eſt, & Spiritus ſanctus, Deus tamen tam ille, quam iſte, conſequi neceſſe eſt eſſe plures Deos. nec enim vnquam Origenes, aut etiam Arrius negauit Filium eſſe Deum. Si Deus eſt, coli debet diuino cultu. cultus eiuſmodi multo magis debetur Patri, qui conditus non eſt, vt conditum affirmat Origenes Filium. En cor Origenis. En inſaniam Arrij. Coguntur enim fateri ſe plures colere Deos. hoc eſt redire ad priſtinam gentium ſuperſtitionem, quam euerſum venit Seruator humani Generis, quam ſanctiſſimi Viri, veteris Teſtamenti ſidera, ſemper ſunt deteſtati. hoc eſt dementiæ notare tot fortiſſimos Martyres, qui grauiſſima pertulere ſupplicia, ipſumq; ſanguinem effuderunt, ne præter vnum Deum alium colerent, atq; adorarent. Ait Iuſtinianus mirum non eſſe, ſi Origenes *in ipſo martyrij articulo Chriſtum abneguit, cultamq; à Paganis Deorum multitudinem,* quam ipſe inducit, *adoraſſe*. dicet fortè Origenes, ſe cum Patre tanquā Deum adorare Filium, & Spiritum Sanctum, quod eos

nobis ſacra commendent oracula. Explodere verò Iouem, Venerem, Iunonem, alioſq; quod eorum nulla fiat in ſac. litteris mentio. Impinget tamen Origenes volens nolens in diuinam Scripturam, quæ toties vnum Deum eſſe affirmat, eiq; ſoli ſeruiendum clamat.

Cur putauerit Origenes Mundum coæternum fuiſſe Deo? Cap. xxjv.

EXiſtimaſſe Origenem Mundum aliquem à Deo ab æterno creatum fuiſſe ambigendum non eſt. nam in 3. Periarchon nititur ratione Platonis. abſurdum namq; eſſe opinari bonitatem Dei aliquãdo fuiſſe ocioſam. in primo verò putat abſurdum eſſe cogitare Deum ex non habente factum habentem. audiamus ipſius verba. *Qui verò abſurdum non ſit, vt Deus ex non habente aliquid eorum, quæ ſibi conueniunt; fiat habens? quoniam igitur nuſquam non fuit omnipotens, æterna hæc eſſe docet, propter quæ omnipotens eſt. erant igitur ſemper ipſius dominio ſubiecta ipſo ortentia principe.*

Exiſtimaſſe Origenem Deum non creaſſe in tempore genera, & ſpecies. Cap. XXV.

CVM Platone videtur ſentiſſe Origenes Deum non in tempore, ſed ab æterno omnia creaſſe. nititur autem eo argumento, vt dicat abſurdum dictu

eſſe Deum vnquam otio indulſiſſe, aut feciſſe initium creandi. vexata eſt multis diſputationibus à Philoſophis hæc ratio, vt videre eſt apud Proclum de æternitate Mundi, & reſponſionem Iohannis Grammatici, apud Auerroem, & Algazelem in deſtructione deſtructionum. proferantur nunc verba Origenis ex libro I. Periarchon. *Vtrumq; declaratur, Deum non feciſſe creandi initium, cum aliquando fuerit in otio.* vltima verba Græcè ita habent. ὅτι οὐκ ἤρξατο ὁ θεὸς δημιουργεῖν ἀργήσας ποτέ. Interpres non eſt omninò aſſecutus ſenſum Origenis. tantum enim abeſt, vt exiſtimauerit Origenes fuiſſe otioſum Deum aliquando, vt potius ideò ſenſerit non feciſſe initium creandi, ne dicatur fuiſſe aliquando otioſus. Melius erat vertere: *Deum non feciſſe initium creandi quaſi aliquando fuerit otioſus.* ſic puto vertenda verba Iuſtiniani. Siue perpendantur genera & ſpecies, ſiue ſingularia differentia numero, non opinabatur dicendū Origenes, initium feciſſe creandi Deum. ſingularia enim numero non putabat creari à Deo, ſed generari quotidie à cauſis ſecundis, atq; viribus naturæ. genera verò & ſpecies aiebat ab æterno facta fuiſſe à Deo. ſic quidem videtur ſenſiſſe Origenes.

Origenem dum de Mundo creato loquitur multiplici vrgeri difficultate. Cap. xxvj.

PEdicis ſeipſum implicare videtur Origenes. ait enim mundum ab æterno conditum fuiſſe, ne De-

us di-

us dicatur fuiſſe vnquam otioſus. & factus de non habente habens. Rurſus putat plures à Deo creari mundos, ne poſtquam ab æterno condidit vnum deinceps otio indulgeat. hinc conſequeretur Deum ſaltem ratione mundi, qui deinceps creatur, fieri de non habente habentẽ, & infinitos creari ſubinde mundos, ne vno cõdito, otiũ obreperet. nam ne quieſcere dicatur, oportebit eum occupari ſemper in creando aliquando. Sic rerum creatarum nullus eſſet numerus. quæro etiam ſi ante hunc mundum fuere alij, an putet eos adhuc ſupereſſe, aut euerſos. ſi ſuperſunt, oſtendat vbi ſunt? ſi non ſuperſunt, an fas eſt dicere, Deum ſua ipſius opera deſtruere, & demoliri? viderit Origenes, quò ſe vertat, vt hæc euertar.

Plures mundos à Deo ſecundum Origenem creari. Cap. xxvij.

ADuerſus illa, quæ protulimus, licebit aſſerere Origenem putâſſe Deum, ne vnquam foret otioſus plures feciſſe mundos, ac deinceps alios conditurum. in tertio enim Periarchon inquit Origenes. *Solent nobis obijcere aduerſarij, dicentes, ſi cæpit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus, antequam mundus fieret? ocioſam enim dicere naturam Dei, ocioſum eſt ſimul, & abſurdum, vel putare quomodo bonitas aliquando non fecerit, & omni potentiam aliquando non egerit potentatum non tum primum, cum viſibilem iſtum mundum fecit Deus, cæperit ope-*

rari, ſed ſicut poſt corruptionem huius mundi, erit alius mundus, ita, & antequam hic eſſet, fuiſſe alios credidimus. Hæc ibi.

De argumento, quo Origenes conatur probare, animas antequam deſcenderent in corpora, peccaſſe. Cap: xxviij:

INter νῦν, & ψυχὴν diſcrimen ponitur ab Origene. ait enim animas creatas ante corpora fuiſſe νοας καὶ ἁγίας δυνάμεις, & ſanctas virtutes, poſtmodum eaſdem dictas ψυχὰς ἀπὸ ψυχείσας τῆς τοῦ θεοῦ ἀγάπης, quod refrixerint à charitate Dei. Origenem confutans Iuſtinianus ait hanc opinionem hauſtam à Gentilibus. Plato ſanè putauit æternas eſſe animas, creataſq; antequam deſcenderent in corpora. Subiuit nempè eas cum eſſent beatæ, amor vitæ ciuilis. Ergo peccârunt conuerſæ à bono incommutabili ad commutabile bonum. imbecillum autem eſt argumentum petitum ab etymologia. nam multa liceret proferre vocabula, quorum ſignificatus non reſpondet etymologiæ. Fortè quis putet dictam ψυχὴν à refrigerando, quod anima dicatur aura, & ſpiraculum, à græco ἄνεμος, qui eſt ventus. venti verò, & auræ eſt temperare calorem, & æſtum. Scriptores porrò græci νοῦν acceperunt de vi intelligendi, ψυχὴν de tota anima, qua viuimus, & ſentimus. vt apud latinos alia eſt mens, alius animus, ſiue anima.

Men-

Mentem ſecundum Origenem fieri animam, & viciſſim ex anima fieri mentem. Cap. xxjx.

EX anima putat fieri mentem Origenes, ex mente iterum animam, vt eſt viciſſitudini obnoxia. id conatur oſtendere ex dicto Pſalmi 119. *Reuertere anima mea in requiem tuam.* quietem putat eſſe mentem. Cum eſſet in Cœlo, mens erat. dum labitur fit anima. dum reſipiſcit anima, iterum tranſit in mentem. hoc ait Origenes, dum inquit: *Ex eo quod decidit, & refrixit, facta, quæ nunc eſt anima, Pſyche, quæ reditum quoq; in id, quod fuerat ab initio, admittit.*

Hierarchias Angelorum ſecundum Origenem tandem etiam fieri homines. Cap. xxx.

SI per ſeriem ſæculorum, & labentium temporum reuertuntur illuc animæ, vndè venerant viciſſitudini obnoxiæ, nunc prauæ, nunc bonæ, aliquando felices, & beatæ, poſtea miſeræ, iam in Cælo ſplendidę deinceps è Cælo lapſæ tenebricoſo incluſæ carceri, aut etiam ad orcum detruſæ, eueniet, vt quia Angelos putat eſſe animas Origenes, & ipſi corpora ſubeant humana, ignorantiæ, & miſeriæ obnoxij. hoc eſt quod protulit Origenes, vt ſuis principijs omnia colligaret. ſcribit enim in primo libro Periarchon: *puto autem poſſe ex*

ijs

ijs, qui ſubditi peioribus principatibus, & poteſtatibus, mundiq; rectoribus per ſingulos mundos, aut mentes alicuius mundi citius beneficium accipientes, nolenteſq; in poſterum ab ipſis mutari, complere aliquando genus humanum. At viciſſim illæ ipſæ animæ, quæ complent genus humanum, redibunt aliquando ad eam dignitatem, vt principatus ſint, poteſtates, & mundi rectores.

Origenem putâſſe animas quandoq; tranſire ad bruta, atq; etiam piſces Cap. xxxj.

NOn abhorruiſſe à Pythagorico animarum tranſitu videtur Origenes, nec enim putat eſſe abſurdum dictu, ſi quis aſſerat quaſdam animas; quæ vitijs ſupra modum indulſerunt migrare ad bruta, efferatque fieri inſtar iumentorum, hæc enim ſunt ipſius verba. lib. 2. Periarch. *Anima defluens à bono, & vergens ad nequitiam, diutiuſq; ipſam amplectens, niſe ab inſipientia reducat, tranſit ad iumenta atq; ob prauitatem efferatur.* Statum animæ eum putat eſse, quando aquaticam inducit vitam. in primo enim libro inquit: *& aquaticam nonnullam eligit vitam.* in ſecundo vero ait: *eligitq: vt bruteſcat, vitam etiam, vt ita dicam, aquatilem. & fortè pro merito maioris ad vitioſitatem prolapſionis induit corpora aquatica talis bruti animalis.* in eo verò differt Origenes à Pythagora, quod hic inferos, pænaſq; apud inferos euertebat, neq; enim exiſtimabat poſse fieri, vt anima cum ſit immortalis patiatur; ille verò pænas in ſubterraneis locis luendas ob ſcelera agnoſcebat.

Vndè colligat Origenes animas defluere ab vnitate. Cap. xxxij.

VT colligat Origenes animas delabi, & excidere prima origine, ſic ratiocinari videtur: Deus ab æterno eodem modo videtur condidiſse animas, & ſepoſita omni varietate. Animaduertimus tamẽ in mundo maximam eſſe eorum, quæ vtuntur ratione, varietatem. Vndè hæc varietas exiſtere potuit? ex vario modo, quo ab vnitate labuntur animæ, quæ prius cum ipſa coniunctæ erant. audiamus eius verba ex primo Periarch: *Ita cum mundus ex ſumma conſtet varietate, tantaq; ratione vtentium contineat differentiam, quid aliud dicendum eſt fuiſſe cauſæ, vt ſic ſubſiſtat,* (vel vt ſubſit tantę varietati) *quam varios delabendi modos eorum, quæ non ſimiliter defluunt ab vnitate.* hæc Origenes. quæ componenda ſunt cum Platonico dogmate de lapſu animarum.

S. Scripturam non dicere animam Chriſti fuiſſe, antequam conformaretur corpus in vtero Virginis. Cap. xxxiij.

VIdentur S. litteræ dicere animam Chriſti fuiſſe, antequam corpus ipſius in vtero Virginis confor-

formaretur. nam inquit Chriſtus Iohan. vj. v. 51. *Ego ſum panis viuus, qui de Coelo deſcendi*. alibi quoq; dicit ſe deſcendiſſe è cœlo. quia tota Eccleſia in ſymbolo idem fatetur. neq; eſt omittendum, quod profert S. Paulus. j. Cor. 15. v. 47. *primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cælo cæleſtis*. Quæ tamen omnia ſic ſunt exponenda, vt explodatur hæreſis Origenis, animam Chriſti fuiſſe antequam corpus conformaretur. deſcendiſſe enim è cœlo dicitur Chriſtus, quatenus Verbum aſſumpſit humanam naturam. furor quoq; inſanorum Anabaptiſtarum eſt repellendus, qui putant corpus Chriſti in cœlo conformatum, atq; indè delatum in vterum Virginis, perque ipſam veluti per ſiphonem quemdam tranſiſſe. nam veteres Eccleſiæ patres verba Chriſti Ioh. vj. aut S. Pauli 1. Cor. 15. nunquam ſic ſunt interpretati, vt fauerent eiuſmodi errori.

Exiſtimâſſe Origenem animam Chriſti hoc meruiſſe, vt aſſumeretur à Verbo. Cap. xxxjv.

QVia animam Chriſti extitiſſe putat Origenes, antequam ei conformaretur corpus in vtero Virginis, ideò etiam ait meruiſſe, vt à Verbo aſsumeretur. ſiquis namq; quærat ex Origene, cur hæc potius anima aſsumpta eſt, quam illa, reſpondebit hanc (ſcilicet Chriſti) tantam meruiſse dignitatem. profert autem dictum pſal. 44. *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus ſuis*;

Quid eſt apud Origenem vngi oleo lætitię aſſum ià Verbo. Cur vncta eſt anima Chriſti? quia ſemper adhæſit Vnigenito, nec vnquam ſeiuncta eſt ab ipſo. hinc ait. *Decebat ſiquidem illum, qui nunquam ab Vnigenito ſeparatus eſt, coexiſtere Vnigenito, & vna cum ipſo glorificari.* hęc Origenes. Interpretes autem de loco pſalmi ſic diſſerunt, vt dicant, Chriſtum in ipſo conceptu animam habuiſſe vſu rationis, & intelligentię præditam, quæ ſe planè virtuti, & iuſtitiæ dedicaret. Itaq; in eo iuſtitiæ amor, & vnctio Spiritus Sancti ſimul tempore extiterunt, & alterum alterius fuit cauſa.

In quam blaſphemiam volens nolens incidat Origenes. Cap XXXV.

SI nolit à ſe ipſo diſſidere Origenes, cogetur magnam defendere blaſphemiam. Si namq; anima Chriſti extitit antequam corpori coniungeretur, ſiq; more aliarum animarum, è Cœlo deſcendit in corpus, vt in carcerem, peccatũ ei quoq; cogetur impingere. quod auditu horrendum fuerit. Ait namq; D. Paulus Chriſtum peccatum non nouiſſe. vt, quicquid dico, magis ac magis notum ſit, repetendum eſt, Origenem docuiſſe animas conditas in Cœlo, earumq; erga Deum pietatem refrixiſſe, eius rei cauſa detruſas fuiſſe in corpora, vt ſupplicium expendant, quod Deum non amârint conſtanter. in numerum talium animarum refert ne animam Chriſti? refert, ait namq; teſte Iuſtiniano

fuiſſe antequam Verbum Caro fieret. Anathematiſmus tertius ſic deſcribitur. *Si quis dicit, aut ſentit primum conformatum eſſe corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in vtero beatæ Virginis, ac poſtea vnitum, & eſſe Deum Verbum, & animam, vtpotè, quæ ante fuiſſet: anathema ſit.*

Vndè didicerit Origenes, animam Chriſti, ſi ſemper fuiſſet, nunquam peccaſſe? Cap. XXXVJ

SI anima Chriſti æterna eſt ſecundũ Origenem, affirmantem animas eſſe ab æterno conditas, quis ei dixit animam hanc numquam à Verbo ſeparatam fuiſſe? in illa namq; æterna ſerie, quam multa contingit committi. poſſunt enim peccare, & tandem ad priſtinum redire virtutis ſtatum, rurſuſq; ab eodem excidere. Audet tamen ipſe affirmare animam Chriſti ab incommutabili bono nunquam diſceſſiſſe. verba, quæ leguntur in pſalmo non oſtendunt animam Chriſti ab Vnigenito nunquam ſeperatam fuiſſe, nam poſſet ea quis Origenis more ſic interpretari vt intelligeremus, antequam aſſumeretur à Verbo dilexiſſe iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem, propterea aſſumptam fuiſſe à Verbo. de vera autem illorum verborum expoſitione iam protullimus ſententiam.

Origenem putâſſe Chriſtum ſæpe paſſurum, & non vno in mundo. Cap. xxxvij

ANathematiſmus vij in Origenem iſtis verbis profertur. *Si quis dicit, aut ſentit Dominum Chriſtum in ſeculo futuro crucifixum iri pro dæmonibus, ſicut, & pro hominibus: anathema ſit.* exiſtimat Origenes omnia in orbem redire. putat dæmones aliquando conſecuturos ſalutem. quia pcccârunt, neceſſe eſt, vt quis pro ipſis patiatur. hinc colligit Chriſtum aliquando pro dæmonibus paſſurum. Imò ſi denuò dæmones, labuntur è cœlo, iterum pro ipſis patietur Chriſtus. id quoq; de genere proferetur humano. & ſi vnicuiq; mundo ſua tribuenda eſt ſalus, & in vnoquoq; mundo peccatur, oportebit Chriſtum ſæpè, & ſæpius crucifigi, vt ſæpè, & ſepius redimantur dæmones, redimatur genus humanum. vides quò tendant nugæ Origenis, vt omnia ſurſum deorſum ferantur.

Num ſit futurus finis mundi ſecundum Origenem? Cap. xxxviij.

AN finis eſt futurus mundi, & huius ſeculi ſecundum Origenem? futurum non negauerit, ſed addet alium mox incohandum; vt enim multos conſtruit mundos, ita vnicuiq; ſuum finem tribuat neceſſe eſt. in

orbe autem mundorum, qui conduntur, & intereunt variam ſortiuntur conditionem animæ. nam quæ in vno fuere præclaræ, & præſtantiſſimæ, in alio deterimæ cenſebuntur eſſe. hinc ait Origenes 1 Periarch. *Atq; ita vt plurimum ex ijs, quæ ſunt ſub principatibus, & poteſtatibus, & thronis, & dominationibus, fortè etiam aliquando loco ipſorum conſtituetur genus humanum vno in mundo.*

Nec præmia, nec pœnas apud Origenem agnoſcere æternitatem. Cap. XXXIX.

SI vnus mundus conditur, & poſtea deſtruitur, aliuſq; poſt ipſius interitum creatur, ſi dæmones fiunt homines, ſi homines tranſeunt ad dignitatem Angelicam; ſi per lapſum ſeculorum omnes animæ commeant, & redeunt, beatæ ſunt, & miſeræ, iam liberæ, iam pedicis corporeis implicatæ, nunc in Cœlo illuſtres, aliquando apud tartara obſcuræ, & ignaræ, neceſſe eſt præmia in Cœlis eſſe expertia perennitatis, & pœnis in Orco tandem imponi finem. in hæc omnia incidit volens nolens Origenes, ſi ſua dicta deſerere nolit. hic eſt circuitus magni anni apud Platonem, quē occultat, & venditat Origenes detortis, & contortis S. litterarum ſententijs.

PERO-

PERORATIO.

HÆc ego de comparatione dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis nõ tam expoſui, quã perſtrinxi, prolixas dictiones auerſatus, ne quæ apud Platonicos leguntur paſſim, ad augendum librum fruſtrà comportarentur. Scio iampridem viros doctiſſimos Sixtum Senenſem, & Gilbertum Genebrardum ſic egiſſe de dogmatibus Origenis, vt eum à Schola Platonis auellerent; ſed ſi ipſi præ oculis habuiſſent Iuſtinianeam diſputationem, quæ in editione Conciliorum Generalium annectitur Quintæ Synodo, Cæſareum punctum de Origenianis opinionibus amplexi fuiſſent. Noli autem, Lector, mirari me in opuſculo de Origenis dogmatibus multa hiſtorico more tantum recitâſſe, omiſſa confutatione, quam forte aliqui deſiderabunt. Nam in tanta luce Veritatis, qua ſeculum noſtrum fruitur, eiuſmodi dogmata, quæ hauſta à Gentilibus non concinunt Euangelio, recitâſſe, & retuliſſe, idem eſt quod iugulâſſe, correxiſſe.

* * *

Ego D. Cirynus Sanctius Monachus Caſſinenſis mandato Reuerendiſs. Prouicarij D. Petri de Auguſtinis legi librum de Comparatione dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis Excellentiſs. D. Paganini Gaudentij, eumq; digniſſimum cenſui, qui Typis mandetur.

Imprimatur dummodò accedat conſenſus Reuer. P. Inquiſitoris
Petrus Auguſtinus Can. Panit. & Vic. Subſtit. Gen. Piſ.

Imprimatur die 1. Decembris 1636. ſtilo Piſano.
F. B. Inquiſ. Piſarum.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Inquiſ. 8. *Aug.* 1639.
Laurentius Capponius Vic. Subſt. Flor.

Imprimatur Florentiæ 10. *Auguſti* 1639.
F. Io. Muzzarellius Inquiſitor Gen. &c.

Alexander Victorius Senator Sereniſs. M. D. Auditor.

Digitized by Google

SALEBRAE TERTVLLIANEAE

Quas complanare conatus eſt

PAGANINVS GAVDENTIVS Theologus.

FLORENTIÆ

Typis nouis Amatoris Maſſæ, & Soc. M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

An extra cauſam Montani omnia bene ſcripſerit Tertullianus. cap j.

AVCTOR Anonymus aduerſus prædeſtinatianos ait Tertullianum *Omnia bene, & optimè, & incomparabiliter ſcripſiſſe, & in hoc ſolum ſe reprehenſibilem feciſſe, quod Montanum defenderit.* dixit autem Tertullianus filium Dei eſſe creaturã, omnia in nihilum à Deo tandem redigenda, omnem animam vſq; ad iudicium ſequeſtrari apud Inferos, hæreticorum baptiſmum nihil valere, animam eſſe corpus, Deum eſſe corporeum, Chriſtiano nefas eſſe militare, & eiuſmodi alia, quæ an benè dicta ſint, nemo non poteſt iudicare hac quidem tempeſtate, quæ à me non proferuntur quod velim Tertullianeo nomini, quod ſuſpicio, faceſſere negotiũ, ſed vt intelligant lectores cautè legenda eſſe verba eius, qui contra prædeſtinatianos librum exarauit. multa enim videtur protuliſſe ex proprio ingenio extra cauſam Montani Tertullianus, quibus nigrum debet præfigi theta.

Digitized by Google

Quid de Epiſtola ad Hebræos ſenſerit Tertullianus? cap. ij.

APparet Tertullianum exiſtimaſſe epiſtolam ad Hebræos non eſſe S. Pauli, ſed tribuiſſe eam Barnabæ, putaſſeq; eſſe Apocrypham, aut ſaltem non exploratæ veritatis, & auctoritatis diuinæ. hinc videmus factum, vt teſtimonia vix vnquam ex illa petiuerit, ſi librum de pudicitia excipias, in cuius c. 20. depromit verba ex c. vj. apponere autem lubet præfationem Tertulliani. ait itaq; *Volo ex redundantia alicuius etiam comitis Apoſtolorum teſtimonium ſuperducere. Extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo ſatis auctoritatis viro, & vtique receptior apud Eccleſias Epiſtola Barnabæ illo apocrypho paſtore Mæchorum.* Vides Epiſtolam extra Canonicas poni, fateri tamen Tertullianum ſaltem receptiorem apud Eccleſias eſſe Epiſtolam ad Hebręos libro paſtoris quē palam Apocryphum appellat. Nam Epiſtolam ad Hebręos non vocat diſertè Apocrypham: nobis verò de ipſius Canonica ambigere nefas eſt auctoritate.

A Tertulliano librum Enochi ſuſceptum, vt Canonicum. cap. iij.

AVctoritatem libri Enoch conatus eſt tueri Tertullianus, & ſuadere, vt tanquam diuinus ſuſciperetur. age verò perpendamus argumenta, quæ afferunt, quæq; reijciunt.

Enoc-

Enochi teſtimoniũ profertur à S. Iuda. Cur eius aucto ritate vteretur, ſi liber Apocryphus eſſet? an fas eſt falſis, & commentitijs dictis defendere veritatem? Tertull. lib. de habit. fœmin. cap. 3. *Eo accidit, quod Enoch apud Iudam Apoſtolum teſtimonium poſſidet.* Malo legere: *Eò accedit.* nam poſtquam aliqua protulit argumenta pro Enochi libro, ſubiungit tandem & iſtud.

Profert deinde Tertullianus dictum Pauli, docentis omnem ſcriptutam *ædificationi habilem diuinitus inſpi rari.* Continet autem liber Enoch multa vtilia. Cur negabimus eſſe diuinitus traditam?

A pleriſq; omnibus, vt authenticus, & Canonicus recipiebatur tẽpore Tertulliani, quod innuit ipſe dum inquit *ſcio non recipi à quibuſdam.* Cur nos non recipi e mus, quod tot viris eximijs placuit?

Sed argumentis oppugnatur iſtis. nam liber in Armarium Iudaicum non fuit admiſſus teſte eodem Tertulliano: veriſimile etiam non eſt librum conſcriptum à te Cataclyſmum ad nos perueniſſe.

At nec argumenta defendentia, nec oppugnantia talia ſunt, vt non poſſint conuelli. nam D. Paulus vſus eſt teſtimonio Gentilium, quorum tamen libros quis vo cet canonicos? nec omnis liber ædificationi habilis, eſt dininus. omnis quidem liber diuinitus traditus eſt, habilis ædificationi liber paſtoris à multis apud antiquos recipiebatur, nec propterea canonicus eſt.

Argumenta oppugnatia ſic poſſent repelli, cum Tertulliano. nam iudæi ſpreuerunt Chriſtum, quid mirum ſi ſpreuerunt Scripturam loquentem de Domino.

potuit liber tradi Matuſalæ,& Noæ tradere fas fuit, quæ audiuit; potuit etiam ſpiritu Dei reparari liber, qui perijſſet in diluuio.

His prolatis audes affirmare, potuiſſe defendi, vt diuinum librum Enochi, niſi ſciremus ab Eccleſia non fuiſſe receptum, imo vt Apocryphum reiectum. accedit librum, qui legebatur tempore Tertulliani, perijſſe, licet quidam aſſerant reperiri apud Æthiopes.

Prophetias Montani non videri placuiſſe vnquam Pontifici Romano. Cap. jv.

AN Pontifex Romanus communicauit cum Montano? affirmat Tertullianus lib. contra Praxeam cap. j. *idem Epiſcopum Romanum agnoſcentem iam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſijs Aſiæ, & Phrygiæ inferentem*. id veriſimile non eſt, ſi fides habenda ijs, quæ leguntur apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 27. vbi ait. *tunc veluti pullulare cæperat, Montano vna cum pſeudoprophetiſſis ſuis principia defectionis parturiente*. ſed legenda præcipuè ſunt illa, quæ reperiuntur lib. 5. cap. xvj quæq; recitare ſuperſedeo, cum alibi à me prolata fuerint. ex quibus diſcere eſt Montani initia nequaquam bona fuiſſe, neq. hæreſeos expertia. Suſpectus verò eſt Tertullianus id affirmans, cum ipſe ex ſecta Montani fuerit. Nonne & hodie, qui ſectas condiderunt nouas, multa affirmant, quibus tamen fides non temerè habetur. Illud etiam

credi.

credibile non eſt, Epiſcopum Romanum ob narrationem Praxeæ de Montano reuocaſſe litteras pacis iam emiſsas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſaſſe. nam quam auctoritatem, quod pondus habuiſſent hominis hæretici verba apud Summum Pontificem? quæ igitur referuntur à Tertulliano cap. 1. lib. contra Praxeam ſuſpecta merito eſſe debent. quale illud etiam eſt, quod ait Praxeam *Hæreſim intuliſſe Romę.* Imò coactus eſt palinodiam edere, fatente eodem Tertulliano.

Non eodem modo videri Tertullianum ſemper loqui de conſuetudine. Cap. V.

IN diſputatione de Virginibus velandis Tertullianus videtur oblitus eorum, quæ protulerat in principio libri de Corona. vt enim oſtenderet fas non eſſe militibus Chriſtianis coronam lauream geſtare, confugit ad morem Chriſtianorum, aduerſus quem non putat fas eſſe diſputare; at quando de Virginibus velandis agitur, inſuper habere videtur Chriſtianam conſuetudinem. Aiebant enim qui velare nolebant Virgines, Eccleſias non vti hoc ritu. dicit ipſe cap. 1. præferendam eſſe veritatem conſuetudini, quam ait ferè ſortiri initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate, *& in vſum per ſucceſſionem corroborari, atq; ita aduerſus veritatem vindicari.* Memini me legiſſe apud Ariſtotelem in Rhetoricis oratorem ſi videat ſibi aduerſari legem ſcriptam, confugere ad

re ad legem naturæ, ſi animaduertat legem ſcriptam à ſe ſtare, non pati ſe diuelli à legum patriarum ſanctitate. Eum in modum dixeris Tertullianum, cùm ageret de corona, valde commendâſſe conſuetudinem, quam ibi ſibi fauere norat. hic verò flocci facere cõſuetudinẽ cũ ſe eius adminiculo munirent, qui velum Virginibus ſuis imponere recuſabant. *Dominus*, inquit, *noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinẽ cognominauit*. Subijcit ſolam regulam Fidei eſſe irreformabilem, in moribus verò poſſe non pauca emendari. *Cætera*, ait, *diſciplinæ & conſuetudinis admittunt nouitatem correctionis*. veſtigia Tertulliani ſequi viſus eſt S. Cyprianus, cum cuperet iterum baptizari, qui baptizati fuerant ab hæreticis. Obijciebatur ei conſuetudo, ipſe in accuſationem vertebatur conſuetudinis, & propè omnia, quæ proferuntur à Tertulliano, depromebat. Hæc obſeruare lubuit, vt noſſemus cautè eſſe voluenda Tertulliani ſcripta, cũ non idem vbiq; videatur dicere.

Cur licuerit Apoſtolis oppugnare conſenſum Nationum? Cap. vj.

Plurimis in locis Tertullianus Religionem Chriſtianam appellat Sectam, & quidem non ſemel Sectam Dei. in lib. porrò præſcript. cont. Hæret. cap. 6. ait hæreſes dictas ex interpretatione electionis; ſubijcit. *Nobis ex noſtro arbitrio nihil inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis arbitrio ſuo induxerit*. Sectæ, & hæreſis idẽ videtur eſſe ſignificatus. Secta namq; ſecat à communi mo-

nimore, inducitq; quod hactenus inter mortales non fuit. paſſim autem ait Tertullianus ad diſputationem non eſſe admittendos hæreticos, cum antiquitas, & ſucceſſio eos damnet. ſi non licet quicquam inducere proprio arbitrio aduerſus conſenſum Catholicorum; cur licuit paucis hominibus in Palæſtina diſcedere à conſenſu Nationum, & in ſectam ire? reſpondebit Tertullianus non homines, ſed Deum eſſe conditorem Chriſtianæ ſectæ. ipſe vt genus humanum liberaret à vetuſtate erroris, vi miraculorum inſtruxit Apoſtolos, vt propterea licuerit Gentium conſenſum oppugnare, & id tradere, quod tradendum aliquando Vates ſanctiſſimi dixerant. Euentus autem ipſe docuit diuinitus id factũ, nam cæteroqui ſecta ipſa ſuppreſſa fuiſſet. At eluctata eſt ex diuturnis ærumnis, & de ipſo Imperio Romano triumphauit. Poſtquam autem Apoſtoli docuerunt, quid ſentiendum, non licet mutare ea, quæ ab ipſis ſunt profecta.

Rem apud Tertullianum eſſe ſubſtantiam. Et omnem ſubſtantiam eſſe corpus. Cap. vij.

PVtauit Tertullianus omne, quod ſubſtantiuum eſt, quod ſubſtantia eſt, eſſe corpus. nam cum Hermogenes dixiſſet apud ipſum cap. 36. omnem rem aut corporalem, aut incorporalem eſſe; reſpondet ipſe *vt concedam interim eſſe aliquid incorporale de ſubſtantijs dun-*

taxat,

Digitized by Google

taxat, cum ipſa, ſubſtantia corpus ſit rei cuiuſcumq; Nomine Rei videtur intellexiſſe Tertullianus omnem ſubſtãtiam. Sed Hermogenes latius accepit vocabulum rei ſanè rei nomen magis videtur conuenire ei, quod habet eſt permanens, & ſtabile, minus autem eſt, cuius eſſe eſt poſitum in ſucceſſione. apud Iuriſconſultos etiam res illa incorporalis eſt, quæ percipitur tantum cogitatione, licet habeat eſſe permanens. Tales res ſunt omnia Iura, vt tutelæ, hæreditates, & huiuſmodi. vt verò ad Tertullianum reuertamur, ſi nomine Rei intelligamus in genere quicquid aliquo modo habet eſſe verum, fatetur aliquas res eſſe corporales, alias incorporales. ſed ſi Res magis preſse accipiatur ꝓ ſubſtantia, affirmat omnem rem, id eſt, ſubſtantiam eſse corporalem, & eſse corpus. Nec bene aliqui putarunt nomine corporis apud Tertullianum intelligi, quicquid verè eſt, neq; fictum eſt. nam motus apud ipſum verè eſt, non eſt fictus, tamen corpus non eſt, ſed incorporalis ab ipſo vocatur. Deſcribit autem corpus Tertullianus lib. de Anima c. 9. *Spiritus videbatur anima non inanis, & vacuæ qualitatis, imò quæ teneri etiam repromitteret, tenera, & lucida, & aerei coloris, & forma humana.* Subdit. *Coloris proprietas omni corpori adhæret.* rurſus de anima. *præ ipſa tenuitatis ſubtilitate de fine corporalitatis periclitatur.*

An in-

An innatum eſſe, & infectum, ſit propria nota diuinitatis? Cap. viij.

INnatum eſſe, & infectum, ſiue non factum putat propriam notam eſſe diuinitatis Tertullianus lib. cont. Hermog. cap. 4. *Materiam non natam non factam proinde æternam ſine initio, ſine fine propoſitam. quis enim alius Dei cenſus, quam æternitas? quis alius æternitatis ſtatus, quàm ſemper fuiſſe? Hermogenes duos Deos infert. innatus Deus, annon & innata materia?* c. 6. cont. eumd. *Materia qualis Deus, infecta, innata.* Sed Stoici poſuerunt duo principia rerum æterna, Deum nempè & materiam. dum autem deſcribunt Deum, & Materiam, & ſi illud, infectum eſſe, vtriq; tribuant, non pauca tribuunt Deo, quæ Materiæ conuenire nequeunt. Sapiens enim eſt Deus, & cuncta condit ex materia. hoc materiæ nequaquam largientur. Stoicos ſecutus Hermogenes ſingillatim confert inter ſe materiam, & Deum, vt intelligamus maximum diſcrimen eſſe conſtituendum inter materiã, & Deum. Philoſophi quoq; qui docuerunt ex nihilo nihil poſſe fieri, ſi dixerunt Deum condidiſſe mundum, ſimul affirmârunt materiam æternam fuiſſe, à nullo factã, & ex ipſa Deum orbem feciſſe. Ariſtoteles etiam ait Cœlum, & mundum eſſe ingenitum, non propterea videtur dixiſſe mundum eſſe Deum, vt intelligamus nõ putâſſe Ariſtotelem innatum eſſe, & infectum, eſſe propriam notam diuinitatis. Tertullianus tamen vſus di-

ctis Sac. litterarum oppugnauit æternitatem materiæ, & agnouit ſolum Deum eſſe innatum, & infectum, cum fides doceat Deum eſſe vnum, ſolum, æternum, qui condiderit ex nihilo omnia. quod ſi auferretur, difficile eſſet Stoicorum expugnare ſententiam.

Non omnes putaſſe non factum eſſe, eſſe propriam diuinitatis notam. Cap. jx.

INfectum, & innatum propriam diuinitatis notam ait eſſe Tertullianus contra Hermogenem. At Plato aiebat Deos minores à ſummo factos, quos tamen non negabat eſſe Deos. Arrius quoq; aſſerebat filium eſſe conditum, & creatum, quem nihilominus affirmabat eſſe Deum. Tertullianus ipſe non vno in loco de Filio Dei accipit verba illa Salomonis Prouerb. 8. *Condidit me initium viarum ſuarum.* libro tamen ſcripto cõtra Praxeam diſertè fatetur Filium Deum eſſe, docetq; vnitatẽ in Trinitate diſponi. Filius genitus eſt, Deus tamen eſt. Ergo non eſt propria nota diuinitatis innatum eſſe. ſcio quid ſecundum veritatem regeri poſſit. Hic tantum accipio, quod largiri videtur Tertullianus, qui & ait Filium eſſe conditum, & eſſe Deum. nam veritas Catholica non ait Filium eſſe conditum. nec apud Catholicos idem eſt condi, & gigni. Hodie genui te. transfertur ad Patrem gignentem Filium, non tamen facientem. dictum Prouer. 8. aut non vertitur: *condidit* ſed *poſſedit* me, aut ſi vertatur, condidit me, refertur ad

ſapien-

ſapientiam creatam, quę elucet in mundo facto. interim vides non omnes ſapientes putâſſe propriam notam diuinitatis eſſe, non eſſe factum.

Dogma Arrij diſertis verbis prolatum fuiſſe à Tertulliano. Cap. x.

IN Arrij amentiam videtur impingere Tertullianus lib. contr. Hermog. cap. 3. videtur, in quam, exitiali opinioni, quam Arrius temporibus Conſtantini obſtinatus defendere non erubuit, præluſiſſe Tertullianus. En tibi eius verba: *Nam ex quo eſſe cœperunt, in quæ poteſtas domini ageret, ex illo per acceſſionem poteſtatis & factus, & dictus eſt Dominus, quia & pater Deus eſt, & iudex Deus eſt, non tamen ideò pater & iudex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec pater potuit eſſe ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & filius non fuit, quod iudicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Vides diſertis verbis dicere Tertullianum, fuiſſe tempus, cum filius non fuit. ſi non fuit ſemper, æternus non eſt, nec Deus propriè eſt, quod impium dictu eſt, cum Arrij dementia ſit repreſſa à Concilio Nicæno primo. Vix autem video qua ratione excuſari poſſit Tertullianus. fas eſt dicere cum Hieronymo eum hominem Eccleſiæ non fuiſſe. quæres, cur tanquam Pater Arrianorum damnatus fuerit in Concilio quinto, & ſexto Origenes, Tertullianus autem damnatus non fuerit? reſpondendum eſt, Origenem habuiſſe apud Græcos

multos defenſores, notiſſimaq; fuiſſe eius ſcripta. damnatus igitur fuit, ne ſermo eius ſerperet vt cancer. At Tertullianus parum notus, præſertim in Oriente erat, vt non opus fuerit telum ſententiæ in ipſum ſtringere.

λόγον apud Tertulliannm eſſe ſermonem, apud Latinum interpretem, Verbum. Cap. xj.

MAlle videtur Tertullianus λόγον, de quo agitur Io. 1. appellare ſermonem, quam Verbum contr. Hermog. cap. 45. *Dehinc & ſermonem prolatum.* ſed interpres Latinus maluit vertere Verbum, quod mirũ videri alicui poſſit, cum λόγος ſignificet effatum, quo aliquid vel affirmamus, vel negamus. atqt ita videntur S. litteræ quotieſcumq; de λογῳ Dei loquuntur, reſpicere id, quod eſt apud Moſem. dixit enim Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux.* illud *fiat lux*, non eſt Verbum, ſed eſt ſermo, & locutio, qua aliquid imperatur. Nihilominus quando in Græco ſeptuaginta Interpretum repetitur λόγος, Latinus Interpres vertit: Verbum. vt verbũ Domini quod factum eſt ad Oſeam; cum tamen multa protulerit verba, quæ propriè appellantur λόγος, ſiue ſermo, & oratio. in Græco certè aliud eſt λόγος aliud ῥῆμα. nam λόγος eſt oratio, ῥῆμα eſt vocabulum, quod opponitur nomini, & ſolum poſitum nihil affirmat, nihil negat. vt enim aliquid affirmetur vel negetur, neceſſe eſt ſubiectum cum prædicato coniungi. Verum

quod pro λόγῳ poſitum ſit in Biblijs latinis, verbum, id factum ob Hebraicam linguam, in qua dabar ſignificat etiam orationem. vides itaq; manaſse ex Hebræo conſuetudinem appellandi λογος, Verbum. quando igitur in Euangelio Iohannis Tertullianus legit, ſermo, id facit ſecutus Græcorum λογον, qui certè non eſt Verbum, ſed ſermo, & oratio, at qui vertunt in eodem Euangelio: Verbum, ſequuntur Hebraicam rationem, apud quam dabar ſignificat ſic Verbum, vt complectatur etiam orationem.

Quæ proferuntur à Tertulliano de Sermone genito ex ratione debere eſſe ſuſpecta. Cap xij.

SVnt verba Tertulliani cont. Praxeam, cap. 5. *In vſu eſt noſtrorum, per ſimplicitatem interpretationis, ſermonem dicere in primordio apud Deum fuiſſe.* λόγον igitur putárunt vertendum, ſermonem, non verbum. Tertullianus ait vertendum, rationem. *Magis*, inquit, *Rationem competit antiquiorem haberi, quia non ſermonalis à principio, ſed rationalis Deus etiam ante principium, & quia ipſe quoq; ſermo ratione conſiſtens, priorem eam, vt ſubſtantiam ſuam oſtendat.* Principium autem videtur Tertullianus innuere eſſe illud momentũ, quo genuit ſermonem, ſiue filium ex ratione. nam dixerat: *Me argumenta deducunt ab ipſa Dei diſpoſitione, qua fuit ante mundi conſti-*

conſtitutionem, aduſque filij generationem. Ante omnia Deus erat ſolus. Quaſi tunc non fuerit ſermo, ſiue filius. Mox videtur Tertullianus reuocare ſe ad alia. *Nihil intereſt. nam ſermonem in ipſa ratione intra ſemetipſum habebat.* paulò poſt principium videtur ſignificare id, quod fuit ante vniuerſitatis conſtitutionem. inquit enim. *Deus ante vniuerſitatis conſtitutionem ſolus non fuit habens in ſemetipſo rationem, & in ratione ſermonem, quem ſecundum à ſe faceret agitando intra ſe.* Sermonem autem ait eſſe ſophiam, ſiue filium. Ratio ſecundum Tertullianum facta non eſt, & fuit ante principium, ſed ſermo conditus eſt, & quidem in principio, quando ſecum cogitauit, & diſpoſuit. dices, Deus rationem, ſermonem efficiebat docente eodem Tertulliano, ſed ratio ſemper fuit, & quidem ante principium, ergo & ſermo ſemper fuit. diceret Tertullianus ſe dixiſſe rationē effici ſermonem, quatenus ſermo accedit ad rationem, vt proles quædam. Sed non rectè hinc colligi ſemper fuiſſe ſermonem, quia ſemper fuerit ratio. ratio enim dicitur eſſe ſermo, vt pater filius, ob magnam nempè ſimilitudinem. certè ſi filius poſterior eſt patre, non poteſt eſſe ipſe pater. idem dixerit Tertullianus de ratione. ait ipſe rationem eſſe priorem ſermone. non igitur putat ſermonem eſſe prorſus ipſam rationem. Quæcumq; autem Tertullianus de ratione, deq; ſermone protulit, expungenda videntur, & delenda, cum ſapiant Arrianiſmum, cumq; diſertè filium faciant Creaturam, quod amplius oſtendit Tertullianus, dum profert locum prouer. 8.

Domi-

Dominus creauit me initium. Videnda potius ſunt quæ S. Patres contra Arrium diſſeruerunt.

Tertullianum, dum exponit locum prouerb. 8. *videri præludere Arrio.* Cap. xiij.

TErtullianus cont. Hermog. cap. 18. agit de ſophia, quam ait fuiſſe materiam, ex qua condiderit cuncta Deus. impropriè tamen loquitur, dũ ſapientiam appellat materiam. de ea ſapientia ſic loquitur: *Deniq; vt neceſſariam ſenſit ad opera mundi, ſtatim eam generat, & condit in ſemetipſo. Dominus, inquit, condidit me initium viarum ſuarum, ante omnes colles generauit me, agnoſcat Hermogenes idcircò etiam Sophiam Dei natam. & conditam prædicari, ne quid innatum, & inconditum præter Deum crederemus. Si enim intra Dominum, quod ex ipſo, & in ipſo fuit, ſine initio non fuit. Sophia ſcilicet ipſius ex inde nata, & condita, ex quo in ſenſu Dei ad opera mũdi diſponenda cępit agitari: multo magis nõ capit ſine initio quicquam fuiſſe, quod extra Dominum fuerit.* Quæ omnia transfert ad filium. ait enim ſophiam eſſe ſermonem Dei, filium vnigenitum, & primogenitum. Vtitur eo loco: *Eructauit ſermonem optimum.* Vides in his verbis iaci fundamenta Arrianæ hæreſeos. Arrius enim potiſſimum tuebatur dogma ſuum prolato loco prouerb. 8. vt videre eſt in actis Concilij Nicęni. expoſuere patres Nicęni locum illum de ſapientia creata quę

con-

conſpicua eſt in opere totius mundi. Tertullianus interpretatus de filio Dei, quem tamen ait eſſe conditum. apud ipſum enim generari, fieri, condi, creari, pro ijſdem accipiuntur. Obſerua etiam Tertullianum, ſequi verſionem ſeptuaginta & legere: *Condidit me*. nam ante S. Hieronymum, nemo, quod ſciam, animaduertit vertendum eſſe: *Poſſedit me*. Siquis excuſare poteſt Tertullianum, excuſet, & exponat. Mihi certe talia videntur, vt ad Arrium proximè accedere videantur.

Non factum eſſe, & initio carere apud Tertullianum pro ijſdem accipi. Cap. XIV.

TErtullianus ſic deſcribit æternitatem, vt putet æternum illud eſſe, quod initio caret: ſed dum non factum eſſe, & initio carere pro ijſdem accipit, neſcio an conueniant ijs, quæ tradita ſunt à Platone, diſcipuliſq; putant enim ipſi mundum carere initio, & æternum eſſe, aiunt tamen eſſe factum, nec interim aſſerunt eodem modo eſse æternum, quo æternus eſt Deus, qui minores Deos condidit. nam qui defendunt Platonem, aiunt duplicem eſse æternitatem, vnam abſolutam, & à nullo dependentem, aliam dependentem. Ita Deum aiunt abſolutè æternum eſse, deos autem minores ſic æternos eſse, vt facti ſint à Deo ſummo, atq; adeò dependeant ab ipſo. Stoici autem materiæ eãdem tribuunt cum Deo æternitatem; aiunt enim

eam

eam factam non eſſe; ſed ex ipſa Deum cuncta feciſſe. vt aſſerant abſolutè æternam eſſe non minus, quàm æternus eſt Deus. Theologi Chriſtiani eamdem tribuunt filio æternitatem, quam Patri largiuntur, vt hoc magnum ſit arcanum, filium nempè non minus æternum eſſe, quam ſit pater, cum tamen pater genuerit filium: ſi affirmarent, quod nefas eſt, patrem feciſſe filium, cogerentur duplicem illam æternitatem cum Platonicis recipere, niſi vellent affirmare, filium non eſſe æternum.

Vbi Tertullianus doceat idem eſſe naſci, & fieri, gignere, & facere? Cap. XV.

CVM dixerim alibi apud Tertullianum idem eſſe facere, & gignere in Sac. litteris, id ampliùs hic exponendum, vt intelligamus qua probatione ea in re vtatur Tertullianus. lib. contr. Hermog. c. 32. ſunt ipſius verba: *Habes ſophiam, prior autem abyſſo genita ſum, dicentem: vt credas abyſſum quoq; genitam, ideſt factam, quia & filios facimus licet generemus. Nihil intereſt facta an nata ſit abyſſus, dum initium detur illi.* Vides igitur apud Tertullianum idem eſſe naſci, & fieri, generare, & facere. vides etiam eum exiſtimare omne illud, quod genitum eſt, habere initium. quod tamen reijciendum, quando agimus de Filio Dei; ipſe namq; genitus eſt non factus, & quia factus non eſt, licet genitus ſit, initio caret.

Quibus rationibus oſtendat Tertullianus terram inanem, vacuam ex nihilo factam fuiſſe à Deo? Cap. xvj.

SCriptura nuſquam diſertè ait terram inuiſibilem,& incompoſitam ex nihilo factam fuiſſe. id tamen colligi ex Moſe aſſerit Tertullianus contra Hermogenem. nam ſi Deus feciſſet terram ex aliqua materia, non id diſſimulâſſet Moſes. dixiſſet enim ex quo principio, & ex qua materia cuncta Deus condidiſſet. Ergo cum tacuerit, nihilq; protulerit, voluit tacitè affirmare Deum terram illam inanem & vacuam ex nihilo feciſſe. Audiamus Tertullianum cap. xvj. contra Hermog. *Etſi non apertè Scriptura pronunciauit ex nihilo facta omnia, ſicut nec ex materia, non tantam fuiſſe neceſſitatem apertè ſignificandi de nihilo facta omnia, quanta fuiſſet, ſi ex materia facta fuiſſet. quoniam quod fuit ex nihilo, eo ipſo dum non oſtenditur ex aliquo factum, manifeſtatur ex nihilo factum.* vide quæ ibidem plura ſequuntur. Cap. 33. amplius oſtendit terram ex nihilo factam, *quia nihil innatum præter Deum.* fas eſt præſcribere in hac diſputatione: ſi terra facta non foret, Deus eſſet. repeto verba eiuſdem Tertulliani ex cap. 4. *Hermogenes duos Deos refert. Materiam parem Deo refert. Deum autem vnum eſſe oportet: quia quod ſummum ſit Deus eſt; ſummum autem non erit, niſi quod vnicum fuerit: vnicum autem eſſe non poterit, cui ali-*

aliquid adæquabitur, adæquabitur autem Deo materia, cum æterna cenſetur. hæc Tertullianus. ſubijcit aliud argumẽtum, vt oſtendat ex nihilo factam terram. nam in nihilum Deus omnia rediget. audiamus Tertulliani verba cap. 34. eiuſdem lib. *omne ex nihilo conſtitiſſe, illa poſtremo diſpoſitio ſuadebit, quæ omnia in nihilum redactura eſt.* omnia autem redigenda in nihilum ex S. litteris oſtendere conatur. Eiuſmodi argumentationi non ineſſe robur dicet, quiſquis negat, vt certè negamus omnes, mundum deſtruendum; qua de re alibi.

An dixerit Tertullianus Deum feciſſe terram inuiſibilem, antequam exornaretur Mundus? cap. xvij.

VIdetur ſecum ipſe pugnare Tertullianus. nam in libro contra Hermogenem prolixè oſtendit materiam non eſſe æternam. differit terram illam inuiſibilem, & rudem factam eſſe à Deo, quia Moſes inquit: in principio Deum condidiſſe terram. vide cap. 24. 25 26. reijcit etiam interpretationem Hermogenis, dum inquit cap. 27. *Erat terra, quaſi ſemper fuerit, ſcilicet innata, & infecta, & idcircò materia credenda.* reſpondet illud, *erat*, etiam dici de ea, quæ facta, quæ nata ſit. cap. 28. ait: *Deus omnia opera ſua ordine conſūmauit incultis primò elementis depalans quodammodo mundum, dehinc exornantis velut dedicans.* oſtendit deinceps inuiſibilem fuiſſe, quia vndiq; ambibatur aquis. in lib. de Baptiſmo

cap. 3. ea profert, quæ in alia abire videntur. *Unum* (aqua) *ex his eſt, quæ ante omnem mundi ſuggeſtum impolita adhuc ſpecie penes Deum quieſcebant. ſpiritus Dei ſuper aquas ferebatur. habet homo in primis ętatem venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia, terra imparata, & Cælum rude. ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta. ſimplex, de ſuo pura, dignum vectabulum Deo ſubijciebat.* eſt ſuggeſtus ſedes elatior, & quicquid erigitur, & conſtituitur, vt cernatur, oculiſq; ſe commendet. ipſe dixit alibi ſuggeſtus imaginum, ſuggeſtum pompationum, ſuggeſtum Babylonis, ceruicum, elaboratæ pulchritudinis, ſuggeſtum iubarum leonis, & ſimilia. An verò hæc dicta Tertulliani inter ſe conciliari poſſunt? dicere eſt, docuiſſe Tertullianum terras, & aquas creatas ante mundum, hoc eſt antequam mundus exornaretur. ſtatim tamen atq; creauit terram rudem, iuſſit eſſe lucem, cæteraq; condita ſunt. Minùs tamen cautè viſus eſt vti verbo quieſcēdi Tertullianus. nam videtur innuere diu fuiſſe aquas quæ ambibant terram, antequam mundus exornaretur. ſed verbum id ſic exponendum eſt, ne reijciantur, quæ accuratè proferuntur in libro contra Hermogenem.

Putâſſe Tertullianum tenebras eſſe Subſtantiam. Cap xviij.

VIdetur Moſes putâſſe tenebras eſſe ſubſtantiam quamdam. ſic interpretatur Moſem Tertullianus

nus. cap. 30. libr. contra Hermog. poſtquam protulit verba S. ſcripturæ, *Et tenebræ ſuper abyſſum, & ſpiritus Dei ſuper aquas ferebatur*, ſubiungit: *Quaſi, & hæ confuſæ ſubſtantiæ maſſalis illius nobis argumenta portendat.* In illis verbis ait contineri *Diuiſam relationem certorum, et diſtinctorum elementorum.* Vides tenebras a Tertulliano collocari inter elementa. addit ſitus proprios eis adſcribi, dum collocantur ſuper abyſſum. ſi tenebræ habebant ſitum proprium, erant aliquid (liceat vti vocabulo ſcholaſticorum) poſitiuum. ibidem diſertè tenebras inter ſubſtantias recenſet; docet enim in Moſis verbis oſtendi, *Et demonſtrari diſpoſitionem, & diſtinctionem ſubſtantiarum.* Rurſus ibidem numerat tenebras inter *formas*. vocat etiam cap. 31. ſuggeſtum terræ *Tenebras, & abyſſum. Si enim*, inquit, *abyſſus infra terram, tenebræ autem ſuper abyſſum ſine dubio, & tenebræ, & abyſſus infra terram.* Si tenebræ nihil eſſent; cur dixiſſet S. ſcriptura, Deum feciſſe tenebras? nam Tertullianus inter *ſpecies* refert tenebras. *Singulas ſpecies* (inquit) *docet* ſcriptura *eſſe factas de tenebris. ipſe Dominus per Eſaiam. Ego qui ſtruxi lucem, & feci tenebras.* Si hæc componantur cum ijs, quæ traduntur in ſcholis noſtrorum philoſophorum, eò trahentur, vt tenebræ nihil aliud ſint, quam lucis abſentia. Sed iam pridem monuere viri eruditi, non eſſe philoſophiam Moſis exigendam ad normam peripateticam, Ariſtoteleamq.

De Abyſſo rem eſſe obſcuram apud Moſen, & Iohannem, & ipſum Tertullianum. Cap. xjx.

TErtullianus in lib. contr. Hermogenem cap. 29. de terra ait: *Inuiſibilis vt adhuc aquis, tanquam munimento genitalis humoris obductam. Arida ante hac aquis tegebatur.* cap. 31. inquit. *Terræ quidem ſuberat abyſſus, et tenebræ. ſi enim abyſſus infra terram, tenebræ autem ſuper abyſſum, ſine dubio & tenebræ. & abyſſus infra terram. Cælo vero, aquæ ſubiacebant.* Hinc deducit ſpiritum fuiſſe ſupra aquas, & aquas ſupra terram. ſic putat non eadem eſſe aquas, & abyſſum videtur autem exiſtimare abyſſum nihil aliud eſſe, quam immenſam quandam voraginem, cuius fundus reperiri nequit, in quo etiam nullum ſit corpus. Preuerb. 8. *Prior abyſſo genita ſum.* cur non dixiſſet aquas, ſi aquæ ſignificantur nomine abyſſi? nam eodem cap. ſigillatim dicere ait Tertullianus. *Et cum firmos ponebat fontes eius, quæ ſub cælo eſt.* Sed ex Apocalypſi videmur diſcere, Abyſſum nihil aliud eſſe, quàm ſubterraneam voraginem, quæ pars terræ ſit, & apud quam ſint inferi. Fit enim mentio Angeli habentis clauem abyſſi, Narratq S. Iohannes diabolum coniectum fuiſſe in abyſsum. non tamẽ vidẽtur de eadem abyſso loqui Moſes, & Iohannes. Nam apud Moſen abyſsus eſt infra

non

non ſolum terram, ſed & tenebras, vt tenebræ fuerint interterram, & abyſsum. apud Iohannem autem Abyſſus abſque dubio eſt in ipſa terra, & à terra etiam accipit terminos. neq; enim inferi abeunt in aerem, vt docet ipſe Tertullianus de anima cap. 55. negat enim inferos eſse *Subdiualem mundi ſentinam*; ait eſse profunditatem abſtruſam in viſceribus terræ. hinc cor terræ, in quo dicitur fuiſse Chriſtus, interpretatur de receſsu intimo, & interno, & intra ipſam clauſo. Illud ambiguitatem auget, quod ait, receſsum illum inferioribus abyſſis eſse ſuperſtructum. an aliquid ſuperſtrui poteſt abyſſis, ſi tandem termini terræ extremo in orbe terræ ſunt? de his abyſſis, vides lector, ampliandum eſſe, donec certiora inueniamus, vt rectè & Moſen, & Iohannem interpretemur.

De ſpiritu Dei, qui ferebatur ſuper aquas non ſatis clarè locutum Tertullianum. cap XX.

DE Spiritu Domini, qui ferebatur ſuper aquas non ſatis clarè mihi videtur loqui Tertullianus lib. cont. Hermogenem cap. 30. Spiritum Dei refert inter *ſubſtantias, & elementa*. ait ſitum proprium ei tributum à Moſe. numerat eum inter formas, & ſpecies. cap. 31. ait *Cælo ſpiritum, & aquam ſubiacuiſſe, & cælum ſpiritui, & aquis incubuiſſe*. Paulo poſt tradit membra cæli, & terræ fuiſse abyſſum, & tenebras, ſpiri-

ſpiritum, & aquas, quod probat ideò quia Cælo, & terra continebantur. An ventum dicemus fuiſſe ſpiritum iſtum? viderint qui legunt verba Tertulliani: nam cap. 32. de ſpiritu ait locutum Amos: *Qui ſolidat tonitruum, & condit ſpiritum, et annuntiat in homines Chriſtum ſuum: eum ſpiritum conditum oſtendens, qui in terras conditas deputabatur, qui ſuper aquas ferebatur librator, & adflator, & animator vniuerſitatis*. ſi nomine ſpiritus intelligas ventum, nequaquam dices eum fuiſſe miſſum in terras, & fuiſſe animatorem vniuerſitatis Filium Dei, vt videtur intelligere Tertullianus. ſi dicas fuiſſe Filium, non affirmaueris ſpiritum eiuſmodi fuiſſe mēbrum Cœli, & ſubſtantiam tunc factam à Deo. Si non videntur nouiſſima Tertulliani reſpondere ijs, quæ iam prę miſerat de ſpiritu Dei. Aliqui exiſtimabant tempore Tertulliani ſpiritum Dei eſſe ipſum Deum, quandoquidem ſcriptum eſt: *Deus ſpiritus*. quam opinionem confutat, nam aquæ ſuſtinere Dominū non potuiſſent. ſed liceret reſpondere Deum fouiſſe aquas, neq; opus eſſe Deo, vt ſuſtineatur, cum corpus non ſit, quicquid alibi doceat Tertullianus. perpende iam verba Tertulliani: *eum ſpiritum dicit, de quo etiam venti conſtiterunt, vt ait per Eſaiam: quia ſpiritus à me exiuit, & flatum omnem ego feci*. videtur munire eorum ſententiam, quam paulo antea reiecerat. nam de Deo conſtiterunt venti, ſi ipſe omnem fecit flatum. An vis, à qua venti ſpirant, quique flatum facit aliquid eſt diuerſum à Deo? Hęc eò tendunt, vt aſſeram perplexè locutum fuiſſe Tertullianū de Spiritu Dei, qui ferebatur ſuper aquas.

Expen-

Expenduntur quædam Tertulliani verba de Deo quieſcente poſt conditum Mundum.

Cap. xxj

PEriculo non videntur carere Tertulliani verba cont. Hermog. cap. vlt. *Noli ita Deo adulari, vt velis illum ſolo viſu ſubſtantias protuliſſe. enixus viribus totum hoc condidit. Maior eſt gloria eius ſi laborauit; deniq; ſeptima die requieuit ab operibus.* Quibus verbis videtur indicare Deum vſum fuiſſe ſuis viribus, & conatum, & enixum, & ſuo robore vſum, quo poſtea deſierit vti. Ne quis erret, & putet laborem proprie dictum tribui Deo, ſubiungit; *Vtrumq; ſuo more.* Suſpicionem mouent verba Tertulliani; propterea quia alibi docet Deum eſſe corpus, ſubſtantiamq; corpoream, vt mirum non ſit, ſi dicat Deum cum conderet Mundum laboraſſe, & ſeptima die requieuiſſe. Nos idem dicimus prolatum more planè humano, ne quiſquam cogitet Deum defatigatum indiguiſſe poſtea quiete.

Exiſtimâſſe Tertullianum in Veteri Teſtamento non apparuiſſe Patrem, ſed filium.

Cap. xxij.

PVtat Tertullianus in Veteri Teſtamento non apparuiſſe Patrem, ſed filium, & ſic natiuitati ſuæ, ſuæq;

ſuæq; cum hominibus familiaritati, & conſuetudini præluſiſſe. lib. de Carne Chriſti cap. 6. *Chriſtus iam tunc, & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediſcebat in carnis habitu, non natæ adhuc.* Id etiam exponit lib. contr. Praxeam cap. 22. *Cum ſubiungit; Abraham diem meum vidit, & lætatus eſt, nempe demonſtrat filium Abrahæ retrò viſum, non patrem.* Agit prolixius de toto argumento eiuſdem libri cap. xvj. *Filius eſt qui ab initio iudicauit, turrim ſuperbiſſimam elidens, linguaſq; diſpertiens, orbem totum aquarum violentia puniens pluens ſuper Sodomam, & Gomorram ignem, & ſulphurem: Dominuſq; à Domino, ipſe enim, & ad humana ſemper colloquia ſemper deſcendit ab Adam vſq; ad Patriarchas, & Prophetas in viſione, in ſomnio, in ſpeculo, in enigmate ordinem ſuum præſtruens ab initio ſemper, quem erat perſecuturus in finem.* Plura de eodem argumento legi ibidem poſſunt. Ait affectus humanos iam tunc ſciuiſſe, dum interrogauit Adam, quaſi neſciret vbi eſſet, *pænitens*, quod hominem feciſset, tentans Abraham quaſi ignorans. Eamdem ſententiam tuetur S. Iuſtinus dial. cum Tryphone Iudæo, ait enim: *Ne exiſtimetis ipſum ingenitum Deum deſcendiſſe, aſcendiſſeq; ineffabilis enim ille pater, ac Dominus omnium nec venit, nec ambulat, qui poteſt fieri, vt hic aut alloquatur quemquam, aut viſendum ei ſe præbeat, aut appareat? Ergo nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec vllus alius homo vidit Patrem illum, ſed eum, qui iuxta illius voluntatem Deus eſt, quippè filius idem eſt miniſter, & nuncius.* Hęc Iuſtinus. Quæ ſententia an vera ſit, iam iam videbimus.

Reijcitur

Reijcitur ſententia Tertulliani putantis non apparuiſſe Patriarchis Patrem, ſed filium. Cap. xxiij.

Confutare eſt ſententiam Tertulliani, atq; oſtendere non minus Patrem, quam filium allocutum fuiſse Patriarchas. Inquit Moſes. *In principio fecit Deus Cælum, & terram.* Id plurimi ſic interpretati ſunt vt dixerint Deum in principio, ideſt filio creaſse mundum. Spiritum Domini interpretantur de Spiritu Sancto, vt ſanctæ Trinitati ſuæ ſint partes in condendo Mundo. hac expoſitione recepta nomine Elohim intelligitur Deus Pater. de ipſo deinde cuncta, quæ ſequuntur, narrantur, non de alio. Neq; enim licet ſuſpicari de alio locutum Moſen, quando dixit: In principio creauit Deus Cælum, & terram, & quando narrauit, & dixit Deus, Adam vbi es? & collocutus eſt cum Eua, cum Noe, alijſq;. adde Deum, quando dixit Moſi, ſe non detexiſse nomen ſuum Abrahæ, Iſaac, & Iacob ſignificaſse ſe cum ipſis locutũ fuiſse, ſe, inquã, qui fert nomen Tetragrammaton. quis autem non nouit nomen eiuſmodi primo conuenire Patri, deinde filio. nam nomen illud eſsentiam Dei ſignificat, quæ licet ſit ipſius quoq; filij, eſt tamen Patris tanquam ingeniti, filij verò tanquam geniti; vt omnia eſsentialia prædicata Dei, conueniant primo Patri, deinde Filio, demum

Spiritui Sancto. Ille igitur apparuit Abrahæ, reliquiſq; Patriarchis, atq; Prophetis, qui vocatur nomine quadrilittero; ſed hoc conuenit præcipuè Patri. fateor conuenire etiam filio, ſed oſtendant qui volunt tueri Tertullianum, filium non Patrem allocutum fuiſse Patriarchas. nam ſi nihil proferatur, quod validum ſit, affirmabimus. confutatur etiam Iuſtinus diſertè dum legimus Deum noluiſse oſtendere gloriam ſuam Moſi, ſed tantum poſteriora, cum tranſiuit. apparuit igitur Moſi ille, qui noluit totus videri à Moſe; ait tamen Iuſtinus Deum Patrem inuiſibilem non apparuiſse Patriarchis. fuiſse autem inuiſibilem illum Deum, colligere poteſt Iuſtinus ex verbis Moſis, quibus teſtatur, ſe tantum poſteriora Dei perſpexiſse.

Non diſſimulo dixiſse Deum; faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. putant non pauci his verbis innui myſterium Trinitatis. Cur enim vſus eſt plurium verbo, niſi vt indicaret non vnam eſse perſonam in Deo? par autem eſt, vt credamus Patrem allocutum fuiſse filium, & Spiritum Sanctum.

Dum Deus alloquitur Abraham, ait: in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. ſemen autem Abrahæ fuit filius factus homo. veriſimile eſt Patrem locutum de filio, qui aliquando futurus erat homo. Diſertiùs tamen dices loqui hac de re eos Theologos, qui aſſerunt Deum, quatenus totam denotat Trinitatem, allocutum fuiſſe Patriarchas, affirmante ſacrorum Myſtarum cœtu: Opera ad extra toti eſſe communia Triadi.

Per-

Perpenduntur argumenta, quibus conatur Tertullianus oſtendere Patrem in Veteri Teſtamento non fuiſſe vnquam allocutum Patriarchas. Cap. xxiiij.

IAm occurrendum eſt argumentis Tertulliani. inquit, filium non Patrem ſuſcepiſse carnem. Ergo filius tunc in carne prælufit, non Pater. reſpondere eſt, carnem tunc non ſuſceptam fuiſse nec à Patre, nec à filio. tantum in quadam externa ſpecie ſe quodammodo aſpiciendum prębuit. Nonne Daniel vidit ſedentem antiquum dierum, ad quem adductus eſt filius hominis? antiqui dierum nomine nemo non intellexerit Patrem.

Sed quomodo vidit diem Chriſti Abraham, ſi filium non vidit? reſpondemus, fide vidiſſe Abrahamum diem Chriſti, quia credidit Deo, pollicenti fore vt in ſemine Abrahę benedicerentur omnes familiæ terrę.

In Geneſi pluit Dominus à Domino, quod videtur explicandum de filio. Dominus ſcilicet filius pluit à Domino, ideſt à patre. ſcio multos ſic interpretatos, ſed ſimplicius exponemus, ſi dicamus voluiſſe Moſen ſignificare ignem hunc diuinitus fuiſſe miſſum, diuinituſq; abſumpſiſſe vrbes illas. Quicquid enim fit à natura, etiam dicitur fieri à Deo. At quando aliquid ſupra naturam, rectè hoc loquendi modo explicatur.

Rur-

Rurſus ait, affectus humanos, de quibus leguntur non pauca in Geneſi non poſſe tribui Patri. Sed nec Filio tribui poſſunt propriè, antequam homo fieret. an enim Deum Filium poteſt pænitere? ſed ſubeſt cauſa, cur audeat Tertullianus affectus tribuere Filio. Viſus enim eſt Tertullianus in eam inclinare ſententiam, vt putaret factum eſſe filium à patre, atq; adeò poſſe etiam humanos induere affectus. Nolim tamen videri nimis acriter agere cum Tertulliano, quamuis de Filio; ipſius opinionem alibi clarius expoſuerim.

At, inquit Iuſtinus, qui & ipſe putat Patrem non fuiſſe quemquam allocutum, quî poteſt fieri, vt ingenitus Deus, ineffabilis deſcenderit, & Patriarchas allocutus fuerit? idem profectò poſſet dici de filio, qui ὁμοούσιος eſt Patri. nam periculo non caret effatum Iuſtini dicentis Filium eſſe Deum iuxta voluntatem Patris. Nequaquam enim poſt Concilium Nicænum nobis ita loqui fas eſt. nec dicere audemus cum eodem Iuſtino, filium in veteri teſtamento, fuiſſe Patris miniſtrum, & nuncium. fuiſſet enim minor etiam ſecundum diuinitatem patre; quod Arrianum eſt.

Putáſſe Tertullianum Angelos duxiſſe vxores. Cap XXV.

PVtat Tertullianus nuptias iniuiſſe Angelos, & puellas virgines duxiſſe vxores. Quale quæſo coniugium, inauditum apud nationes. Audiamus Tertullianum

num de Virgin. veland. cap. 7. *Acceperunt ſibi vxores, ex omnibus, quas legerunt. Hic enim nomen mulierum græcum, vxores ſapit, quia de nuptijs mentio eſt.* Cæteroqui dixiſſet Angelos adulteros, aut ſtuprum memoraſſet. Nec potuit dicere Angelos ſibi ſumpſiſſe vxores, ſi iam aliorum erant vxores. Sic loquor, vt exponam ſententiam Tertulliani. ibidem ait: natas, *At hic Angelis nuptas, & dehinc nuptas.* De cult. fæmin cap. 2. *Si nihil feminis in connubium allectis contuliſſent. nihil plus deſiderare poterant. Magno ſcilicet nupſerant.* Miræ profectò nuptiæ inter Angelos, & fæminas. Quo ritu, quo more conuenerunt? An viſi Angeli? petiuerunt ne puellas à parentibus, an eas rapuerunt? deductæ ne ſunt in ædes maritorum? inuoluamus quæſo cuncta ſilentio.

Vbinam Angeli ſecundum Tertullianum peccauerint? Cap. XXVj.

VBI nam erant Angeli, quando cæperunt amare mulieres, ſiue puellas? reſponderet Tertullianus lib. de cult. fæmin. cap. 2. in Cælo fuiſſe. ait enim eos *ad filias hominum è Cælo ruiſſe*. de Idolol. cap 9. *interdicitur Cælum Angelis.* vocat eos ibidem *deſertores* Dei de Virgin. veland. cap. 7. *legimus Angelos à Deo, & Cælo excidiſſe.* hinc enim videtur docere Angelos accenſos amore fœminarum è Cœlo deſcendiſſe, Cœlum vltrò deſeruiſſe. illinc exiſtimes Tertullianum tradere Angelos pulſos & deiectos fuiſſe è Cœlo. in Cœlo certè nō

potue-

potuerunt peccare cum ipſis mulieribus. dices cupiuiſſe coire cum fæminis, coiſſe autem poſtquam deiecti fuerunt, ſed veriſimile non eſt è Cælo deiectos, vt poſſent explere libidinem; vt putes potius exiſtimaſſe Tertullianum Angelos ruiſſe vltrò è Cælo, vt concumberent cum fęminis. poſtquam autem ſpontè deſeruerunt Cęlum, non eis fas fuit repetere priſtinam ſedem. hæc protuli non quod ita ſentiam, ſed vt explorarem ſententiam Tertullianeam.

Cum Virginibus concubuiſſe Angelos, exiſtimare Tertullianum. Cap. xxvij.

QVales fuerunt fæminæ, quibuſcum exiſtimârunt nonnulli concubuiſſe Angelos? ait Tertullianus fuiſſe Virgines, cap. 7. de Virgin. veland. ſic ſcribit. *Quis præſumere poteſt tales Angelos maculata iam corpora, et humanæ libidinis reliquias deſideráſſe, vt non ad virgines potiùs exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat?* Colligit ex eo, fuiſſe Virgines, quia cum de nuptijs agatur, & ipſę non dicātur fuiſſe apud maritos, intelligi poſſe ait portendi Virgines. non enim appellantur adulteri Angeli. hoc ferè modo ſibi perſuadet Tertullianus, has fęminas fuiſſe virgines, non iam mulieres.

Tertullianum exiſtimare non ob ſolum concubitum damnatos Angelos. Cap xxviij.

NON ob ſolum concubitum cum fæminis Cœlo excidiſſe putat Tertullianus, ſed & ob alias cauſas. recenſeamus ſingulas. de cultu fœminar. cap. 10. *Angeli, qui illecebras detexerunt auri dico, & lapidum illuſtrium, & operas eorum tradiderunt, damnati ſunt.* cap. 7. de Virg. vel. ait: *Legimus Angelos à Deo, & Cœlo excidiſſe ob concupiſcentiã ſeminarum.* lib. de Idolol. cap. 9. diſertè docet ob inuentam Aſtrologiam damnatos Angelos. *Vnum*, inquit, *propono, Angelos illos eſſe deſertores Dei, amatores ſeminarum, proditores etiam huius curioſitatis, propterea quoq; damnatos à Deo.* Non igitur videntur ſtatim damnati, poſtquam concubuerunt cum fœminis. An enim ſimul & concubuiſſe cum fæminis & Aſtrologiam inueniſſe dicemus? Nequaquam id affirmaturum puto Tertullianum. ſubijcit verò eadem pæna plecti Angelos, & Mathematicos. *Expelluntur Mathematici, ſicut Angeli eorum. vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut Cælum Angelis eorum. eadem pæna eſt exilij diſcipulis, et Magiſtris.* in lib. de cult. fæminar. docet Tertullianus cap. 2. ornamenta mulierum inuenta fuiſſe ab Angelis poſtquam concubuerant cum fęminis, & poſtquam cecidiſſent è Cœlo. *Enimuero*, inquit, *qui vtiq; interdum cogitabant, vnde cecidiſſent, & poſt libidinum vaporata momenta Cælum ſuſpirabant, illud ipſum bonum fæminarum na*

turalis decoris, vt cauſam mali, ſic remunerauerunt, ne eis profuiſſet felicitas ſua. hic diſertè docet non ſimul Angelos concubuiſſe, & excogitâſſe ornamenta mulierum, nam inquit, poſt euaporata momenta libidinum appuliſſe mentem ad inuenienda ornamenta.

Quarum rerum inuentionem Dæmonibus tribuat Tertullianus? Cap. xxjx.

MVlta inuenta refert Tertullianus ad Angelos deſertores. primum omnium exiſtimat Aſtrologiam ab ipſis repertam, de Idololat. cap. 9. *Propono Angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores fæminarum, proditores etiam huius curioſitatis.* In lib. de cult. fæm in cap 2. ait eoſdem materias quaſdam bene occultas, & artes pleraſq; non bene reuelatas prodidiſſe, metallorum opera nudaſſe, herbarum ingenia tradidiſſe, incantationum vires prouulgaſſe de incantationibus non loquor.. metalla, ingenia herbarum diligentia hominum inuenit. Addit ibidem ea, quæ faciunt ad cultum fæminarum excogitata fuiſſe à Dæmonibus, lumina nempè lapillorum, circulos ex auro, medicamenta ex fuco, nigrũ puluerem, quo oculorum exordia producuntur. pietas dictauit Tertulliano hæc excogitata fuiſſe à Dæmonibus, vt magis, ac magis eas deterreret à cultu. Iuſtinus Martyr Apolog. Pro Chriſtianis, ait magicas litteras ab ipſis inuentas. iam audiamus Tertullianum affirmantem incantationes ad Dæmones eſſe referendas. addit

ſacra ab ipſis fuiſſe commonſtrata, quæ victimis, odoramentis, libaminibus conſtant. ſed victimas, odoramenta, & libamina nouimus iuſſu Dei etiam in veteri teſtamento fuiſſe tradita, Dęmones autem dederunt operam, vt talia ad ſui cultum præter fas traducerent.

An Aſtrologia ſit inuenta à Dæmonibus, vt exiſtimat Tertullianus? Cap. XXX.

ASTrologiam putat Tertullianus inuentam à Dęmonibus. de Idolol. cap. 9. *Vnum propono Angelos eſſe Dei deſertores, huius etiam curioſitatis proditores.* Vnde id oſtendit? nihil in eam rem profert, quod ſolidum eſſe videatur. nam quod alibi multis interpretatur locum Geneſis dę congreſſu filiorum Dei, cum mulieribus, & ait muneris inſtar, & pretium amoris datas arcanas artes Mulieribus, id neſcio an recipi queat. quando enim Mulieres Aſtrologiæ incubuerunt, & ex ſideribus euentus mortalium ſunt ſcrutatæ? Quid quod hodie nō negant Theologi poſſe eſſe aliquem vſum legitimũ Aſtrologiæ, neq; damnant eos, qui Aſtrologiæ (vt vocant) iudiciariæ incumbunt, dummodò non tollatur arbitrij humani libertas, neq; præſumant (vt loquar cũ Tertulliano) nos ſtellarum immutabili arbitrio agi. Rei igitur per ſe non malæ non dixeris inuentorem Diabolum. vt non omittam extare palam Magini librum de legitimo Aſtrologiæ vſu in Medicina, qui S. Romana Eccleſia annuente vbiq; abſq; diſcrimine legitur. Quid

quod fatetur Tertullianus de Idol. cap. 9. *ſcientiam iſtã vſq; ad Euangeliũ fuiſſe conceſſam*. an inuentum Diaboli conceſſum fuiſſet? quod de Magis profertur, qui ſtellam in Oriente viderunt, id potuiſſet facili negotio explicari à Tertulliano, ſi diceret, hoc nihil facere ad Aſtrologiam, quæ iudicium fert de noſtris euentibus: Magnum enimuerò eſt diſcrimen inter Aſtronomiam, & Aſtrologiam. Verum nihil eiuſmodi protulit, vt ſuſpicari liceat exiſtimâſſe ipſum omnem ſiderum inſpectionẽ poſt Chriſtum eſſe malam. *At enim*, inquit, *ſcientia iſta, vſq; ad Euangelium fuit cõceſſa, vt Chriſto edito nemo exinde natiuitatem alicuius de Cęlo interpretetur*. hæc ipſe.

Quando videatur putare Tertullianus peccâſſe fæminas, quæ dicuntur cum Angelis concubuiſſe. Cap. xxxj

AN mulieres, quæ concubuerunt cum Angelis putat peccâſſe Tertullianus? Non videbantur poſſe repugnare Angelis. num delectatæ ſunt eiuſmodi concubitu? an amârunt tales viros? videtur Tertullianus exiſtimare, ipſo coitu non peccaſſe mulieres, ſed poſtea tractas in peccatum ab Angelis excogitantibus ornamenta, De cultu fæmin. cap. 2. ſunt ipſius verba. *Angeli illud ipſum bonum fæminarum naturalis decoris, vt cauſam mali, ſic remunerauerũt, ne eis profuiſſet felicitas ſua, ſed vt deuectæ de ſimplicitate, & ſinceritate, vnà cum ipſis in offenſam Dei peruenirent*. ſic videtur opinari non priùs,

peccâſ-

peccáſſe fæminas, quam ſpreta ſimplicitate amictus, ornamentis, & cultui cœperunt dare operam.

Putaſſe Tertullianum Angelos corpora, in quibus apparuerunt, ex nihilo feciſſe.

Cap. xxxiij.

INter Salebras Tertulliani recenſe, quod Angelos, ait, è nihilo ſibi paraſſe corpora, & in nihilum poſtea redegiſſe. Quærebatur enim, vndè accepiſſent corpora Angeli in Veteri Teſtamento, quando apparuerunt hominibus. verba Tertulliani de Carne Chriſti ſunt hæc cap. vj. *cum relatum non ſit, vnde ſumpſerint carnem, relinquitur intellectui noſtro non dubitare, hoc eſſe proprium Angelicæ poteſtatis, ex nulla materia corpus ſibi ſumere. ex eo faciunt, quod non eſt, quod autem non eſt, cum ſit, ex nihilo eſt.* Nuſquam legimus, quid de corporibus illis factum ſit, putat in nihilum redacta Tertullianus: *quod de nihilo fuit, nihil factum eſt.* ex nihilo autem feciſſe Angelos corpora illa non ſolum oſtendere conatur ex eo, quia nuſquam legimus, cum defecerint; verum etiam quia ſe conuertunt in carnem. *Qui valent facere ſemetipſos, quod natura non ſunt, cur non valeant etiam ex nulla ſubſtantia facere? Si fiunt quod non ſunt, cur non ex eo fiant, quod non eſt?* plus enim eſt apud Tertullianum *naturam demutare, quam facere materiam.* Sed magnum eſt, quod ſibi vult concedi Tertullianus, Angelos nempè ſe-

ipſos

ipſos conuertiſſe in carnem. Nec colligere fas eſt, ideò Angelos ex nihilo feciſſe corpora, quia nuſquam legimus, vnde fecerint. ex nihilo enim aliquid facere proprium Dei eſt, ipſeq; Tertullianus contra Hermogenē, Omnipotentem Deum appellat, quia ex nihilo fecerit Cælum, & terram. Inter Paradoxa itaq; Tertullianea recenſeatur effatum, quo aſſeruit Angelos corpora ex nihilo feciſſe, & in nihilum redegiſſe.

Quatenus Tertullianus dixerit ſolo Deo minorem eſſe Imperatorem. Cap. XXXIV.

SOlo Deo minorem eſſe Imperatorem, pronuntiat Tertullianus in Apolog. qui hæc etiam habet cap. 33. *temperans maieſtatem Cæſaris Deum, magis illum commendo Deo, cui ſoli ſubijcio. Subijcio autem, cui non adæquo.* non abeunt ab his, quæ leguntur lib. 1. cont. Marcion. cap. 4. *Regna terrarum tanta numero, & tamen ſumma magna in ſuis quibuſcumq; regionibus.* Subijcit ibidem. *Rex, etſi ſummum magnum eſt in ſuo ſolio vſq; ad Deum, tamen infra Deum.* videtur Tertullianus præferre Imperatorem, & Reges Angelis, nam ſolo Deo minores ſunt. Fortè Angelorum non habuit rationem, quòd non videntur, & licet Dij non ſint, tamen aliquid Dei cenſentur eſſe. vſus etiam eſt ſolius Dei nomine, quod rationes putarent genios eſſe Deos, id videtur etiam ſequi ex verbis Tertulliani, vt affirmemus exiſtimaſſe Romanos eſſe Imperatorem maiorem Pontificibus, & Sacerdoti-

bus

bus, tantum abeſt, vt gentes ſuos Reges ſacerdotibus ſubijcerent. Erant enim ſumma magna, ſed infra Deum. Ergo ſupra Sacerdotes collocabantur. An hodie Imperatorem, & Reges Chriſtianos fas eſſet appellare ſumma magna, ſoloq; Deo minores? nequaquam admitteretur eiuſmodi formula, cum Summus Pontifex Romanus eis præferatur. An ſaltem antiquis Chriſtianorũ temporibus, ætate nempè Cõſtantini, & deinceps licuiſſet ſic loqui? ſanè Imperatores etiam Chriſtiani talibus vſi ſunt vocabulis, vt voluerint nos intelligere quid de ſua ſentirent maieſtate. diuinitatem, perennitatem ſibi tribuerunt. ſua iuſſa dixere cæleſtia, diuina oracula. de nullo mortalium ſic auſi ſunt loqui illius tempeſtatis homines. Adde ſolitos iurare mortales, præſertim milites per maieſtatem Imperatoris, vt eſt apud Vegetium. per nullius alterius nomen iuráſſe reperimus.

Quatenus dixerit Tertullianus Deos in poteſtate Imperatoris eſſe. Cap. XXXV.

AD Scapul. cap. 2. inquit Tertull. *Colimus imperatorem, vt hominem à Deo ſecundum, et ſolo Deo minorem; ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo Deo minor eſt, ſic et ipſis dijs maior eſt, dum et ipſi in poteſtate ſunt eius.* Angelos ignorabant Gentiles. nam Genij videbantur ipſis eſſe dij. At Angeli dij non ſunt. Cur verò ait in poteſtate Cæſarum eſſe Deos? an Sol, Luna, cæteraq; ſidera ſuberant imperatori? nam hæc omnia tanquam

Numina adorabantur à Nationibus. puto Tertullianum nomine Deorum intelligere ſtatuas deorum. has enim ceu Deos ipſos venerabantur. Templa, & quicquid in templis erat Cæſarum erant. Non alio ſenſu potuit pronunciare Deos in poteſtate Cęſaris eſſe: nam ſi dicat Deos gentiũ eſſe dęmones, vt ſcribit ad Scapulam cap. 2. non affirmabit, puto, ipſos in poteſtate Imperatorum eſſe. An enim Cæſares imperare poterant dæmonibus? Nequaquam. verba ad Scapulam hæc ſunt. *Cæteros* (præter vnum Deum), *et ipſi putatis Deos, quos nos dęmones ſcimus*.

De Gladij poteſtate minus cautè videri locutum Tertullianum. Cap. XXXVJ.

VIdetur Tertullianus exiſtimáſſe fas non eſse exercere imperium, gladijq; poteſtatem, quo animaduertitur in facinoroſos. nam de Idololat. cap. 19. quærit, an militia admitti poſſit ad fidem, ſaltem inferior, cui non ſit neceſſitas immolationum, *Vel capitalium iudiciorum*. Quaſi ſignificet eam ſaltem, quæ ſuperior eſt, quæq; coniuncta habet capitalia iudicia, nequaquam ad fidem admittendã. ſubijcit; *quomodo autem bellabit*(Chriſtianus) *immò quomodo etiam in pace militabit ſine gladio, quem dominus abſtulit?* Militat in pace, qui gladio punit ſcelera. At Chriſtianus in pace militare nequit, ſi Chriſtus abſtulit gladium. inepti Anabaptiſtæ noſtra tempeſtate aſſerunt non eſſe in quem-

quam

quam ãnimaduertendum gladio. ſed quis nugas tales æquis ferat auribus? inſpice cap. 13. Epiſt. ad Rom. ſi Gentiles cum laude militarunt gladio in pace, cur non militabunt Chriſtiani? militárunt profectò omnes Imperatores Chriſtiani, qui præfuerunt imperio, legeſq; ſanciuerunt, qui in Codice legi poſſent. nam diſputare de eo, quod tot ſecula exercuerunt optimi Imperatores, eſſet hominis inſani. Talia tempora non vidit Tertullianus. ſi vidiſſet, non illa protuliſſet incautè, vt puto, quæ iam prolata fuerunt.

Cur putauerit Tertullianus fas non eſſe Chriſtiano poteſtatem gladij exercere? Cap XXXVIJ.

PVtat Tertullianus Chriſtiano non licere exercere poteſtatem gladij. de Idololat. cap. 17. nam dum agit de Chriſtiano, qui cauere ſibi debet diligenter ab Idololatria inquit: *iam verò, quæ ſunt poteſtatis, neque iudicet de capite alicuius vel pudore, feras enim de pecunia, neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat*. vbi vides non infitias ipſum ire, poſſe exercere iudicia ciuilia, & pronunciare de pecunia, vt neget fas eſſe in capitalibus iudicijs verſari. cur ſic ſenſiſſe putamus Tertullianum? exemplum Chriſti prę oculis habuiſſe videtur. nam cap. 18. eiuſdem libri inquit. *Si poteſtati ius quoq; nullum, ne in*

ſuos quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt, pleniſſimè dedit formam ſuis, dirigendo omni faſtigio et ſuggeſtu poteſtatis. ſubijcit omnes poteſtates eſſe inimicas Dei, commonefacit enim, *Omnes huius ſeculi poteſtates non ſolum alienas, verum et inimicas Dei eſſe:* Sed ſuſcepta à Conſtantino religione Chriſtiana intellexerunt omnes Chriſtiani poteſtates minime malas eſſe, cum ijs Reſpublica nequeat carere. Nimia ſeueritas pręcipitē egit Tertullianum in hanc opinionem.

An regnum, & Magiſtratus inter pompas diaboli recenſenda? Cap. xxxviij.

INter pompas diaboli recenſet Tertullianus trabeam, togam, purpuram, regnum, omnia magiſtratuum inſignia, gladij poteſtatem, & eiusmodi. Curita? quia Chriſtus abſtinuit ab omnibus iſtis; de quo ait cap. 18. de Idololat. *Gloriam ſeculi alienam, et ſibi, et ſuis iudicauit. Igitur quam noluit reiecit, quam reiecit damnauit, quam damnauit in pompa diaboli deputauit. non enim damnaſſet niſi non ſua: alterius autem eſſe non poſſunt, niſi diaboli, quæ Dei non ſunt.* Quę ſi vera ſunt quicumq; baptiſmũ ſuſcipiebat, cogebatur magiſtratu decedere, deincepſque priuatus viuere, ſi nollet peccare in ſtipulatione, qua ſe obſtringebat Deo in baptiſmo. Siquidem vera forent, quæ Tertullianus profert. ſed euentus ipſe docuit falſam eſſe Tertulliani opinionem, cum Chriſtianam religionem amplexi fuerint ipſi imperatores,

& reges. quis enim inter Chriſtianos faſtigium imperij, & regni pompis diaboli accenſeat?

De Cæſaribus, & poteſtatibus non ſemper eadem videri pronuntiare Tertullianum. Cap. XXXIX.

NON eodem modo videtur loqui Tertullianus, quando alloquitur Gentiles, & quando agit cũ Chriſtianis. nã lib. ad Scapul. aſſerit Chriſtianos colere Imperatorem, vt hominem ſolo Deo minorem. in Apologetico affirmat Chriſtianos per ſalutem Imperatoris iurare, magniq; facere eiuſmodi iuramentum. rurſus in lib. ad Scapul. inquit Chriſtianos pro Imperatoris ſalute ſacrificare pura prece. ſed in lib. de Idololat. dicit omnes poteſtates, & dignitates, non ſolum eſſe alienas à Deo, ſed Dei eſſe inimicas, & pompis diaboli eas accenſet. An ſacrificandum pro pompa diaboli? an iurandum per incolumitatem rei, quæ à Deo aliena eſt? an colenda eſt poteſtas inimica Dei? lib. de Idololat. cap. 18. *Chriſtus regnum, poteſtatem, quam noluit, reiecit, quam reiecit damnauit, quam damnauit in pompa diaboli deputauit.* Experiris difficultatem in his conciliandis? puto reſpõderi poſſe poteſtatem per ſe rem bonam eſſe, cum à Deo ſit inſtituta, vt conſulatur publicæ ſaluti publicęq; incolumitati. damnat autem Tertullianus in Cæſaribus, & poteſtatibus Idololatriam, cuius cauſa omnia ef-

fert, quæ ex libro de Idololatria depromi poſſunt.

Expenditur locus D. Pauli Rom. 13. aduerſus Tertullianum. Cap. XXXX

ROm. 13. S. Paulus laudat poteſtates, & Magiſtratus gerentes gladium, eiſq; omnes vult ſubeſſe. At eiuſmodi poteſtas videtur eſſe mala. Nam Chriſtus talem poteſtatem non exercuit, teſte Tertulliano de Idololat. cap. 17. omnis autem Chriſti actio eſt noſtra inſtitutio. omnes huius ſeculi poteſtates, non ſolum alienæ, ſed & inimicæ Dei ſunt docente eodem ibid. cum per illas conſulantur ſupplicia aduerſus Dei ſeruos. non difficilis eſt reſponſio. Nam Chriſtus venit, vt moreretur pro genere humano, non vt exerceret poteſtatem in prouincias. certè poteſtates non ſunt alienę à Deo, cum ipſum habeant auctorem. nam quod Gentiles abuſi ſunt gladio in innocentia capita Chriſtianorum, id fuit factum vitio hominum, non ipſius rei natura.

An prætexta poſſet concedi Chriſtiano? Cap. XXXXI.

DIxeris ſecum pugnare Tertullianum lib. de Idololat. cap. 18. vbi purpuram inter pompas diaboli recenſet, cum tamen affirmet poſſe concedi præ-

textam puero. At prætexta purpuram habet coniunctam, ſaltem aliquid purpuræ? reſpondendum eſt purpuram, quatenus eſt inſigne dignitatis damnari à Tertulliano. Prætexta autem erat inſigne ætatis. ſed inquies eos, qui ſacrificabant ſolitos indui prætexta, vt diſcere eſt ex primo Annal. Taciti. Inſerta igitur erat Idololatrię, atq; adeò ab ipſa Chriſtiano abſtinendum erat. Reſponſio eſt facilis; nam prætexta à viris quandoque extra ordinem ſumebatur; & ab ipſa abſtinere debere Chriſtianos dixiſſet Tertullianus. ſed prætexta ſiue toga puerilis nullius dignitatis erat inſigne, nulli idololatriæ inſerta, vt mirum non ſit ſi Tertullianus affirmet potuiſſe puero ingenuo concedi.

An toga à Tertulliano recenſita fuerit inter pompas diaboli? Cap. xlj.

TOga poſita ſumpſiſſe pallium Tertullianum cum legamus, fortè ſuſpicari licebit inter pompam diaboli recenſuiſſe togam; nam in lib. de Idololat. cap. 18. videtur omnem habitum cum dignitate coniunctũ à Chriſtiano remouere. docet enim verò Chriſtianum *ex forma dominica debere agere*. At dominus fuit veſtitu incultus. par igitur remoueri togam à Chriſtiano. & deinceps inter pompas diaboli recenſet ea, quæ à Chriſto ſpreta, atq; omiſſa fuerunt. Reſpondere eſt, Tertullianum quidem ſpreta toga ſumpſiſſe pallium, vt dominum imitaretur, qui *in humilitate, & ignobilitate inceſſit*,

ceſſit, ſed non ideò inter pompas Diaboli credendus eſt recenſuiſſe togam, cum toga eſſet communis veſtis omnium ciuium Romanorum, non ſua natura Idololatriç inſerta. Neq; enim toga erat inſigne alicuius Magiſtratus, & dignitatis. En verba Tertulliani lib. de Idolol. cap. 18. *penes nos fideli, ſi neceſſe fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & puerilis ſtola, natiuitatis inſignia, non poteſtatis. generis, non honoris, ordinis non ſuperſtitionis. cæterum purpura, vel cætera inſignia dignitatum, habent profanationis ſuæ maculam*. Etſi igitur Chriſtus non inceſſit in toga, non tamen neceſſe erat abſtinere à toga.

An homini Chriſtiano liceat militare? non ſatis conſtanter locutum Tertullianum. Cap. xliij

QVid de militia Chriſtianorum ſenſerit Tertullianus, hic quærendum. cap. 42. Apolog. ait: *vobiſcum militamus*. in lib. de Corona cap. 1. narrat quemdam Chriſtianum magis Dei militem, ceteris conſtantiorem fratribus. vides, inter milites fuiſſe multos Chriſtianos. putabant igitur ſibi licere militare. & peccáſſet Tertullianus, qui cum defenſionem Chriſtianorum exararet, nomineq; omnium loqueretur, dixiſſet militare quoq; Chriſtianos, ſi ipſi exiſtimáſſent fas non eſſe Chriſtiano homini militiæ vacare. ſed negotium magnum faceſſunt, quæ leguntur apud eundem lib. de Idolol. cap. 19. excludit apertè dignitatem eorum, quibus incumbit ob munus immolare. nam vitanda eſt

da eſt

da eſt eiuſmodi militia ob Idololatriam. ſed quid dicendum de caligata, cui non eſt neceſſits immolationum. deterret etiam ab iſta. *non poteſt vna anima duobus deberi Deo & Cæſari.* Sed cur non poteſt quis Cæſari militare ob Deum? ſubdit non conuenire ſacramento diuino & humano. ſi eiuſmodi argumentatione Idololatriæ obnoxiam militiam damnat, laudo. ſed in ijs, quæ ſequuntur, videtur abſolutè damnare militarem vitam. ait enim eos ludere, qui de Moſis virga, de Aaronis fibula, de Iohannis loro, de Ioſue agmen agente, loquuntur, aſſeruntque bellaſſe populum. fatetur bellâſſe, at negat iam bellare poſſe, cum dominus abſtulerit gladium. *gladium,* inquit, *Dominus abſtulit.* nec putat præſidium militiæ collocandum in militibus, qui adierunt Iohannem, aut in Centurione, qui crediderat, nam ſubijcit: *omnem poſtea militem Dominus in Petro exarmando diſcinxit.* quaſi cum dixit Petro, conuerte gladium tuũ in vaginam, ſubſtulerit omnem militiam. Centurio nihilominus Act. 10. ſua pietate placuit Deo. nam preces ipſius, & eleemoſynę aſcenderant ad Deum. adde Conſtantinum Deo acceptiſſimum bella feliciter geſſiſſe in rem Chriſtianam. quorum cauſa Tertullianus contra militiam non ſtrinxiſſet telum diſputationis.

De confeſſione delictorum ante Baptiſmum perpenduntur verba Tertulliani. Cap. xljv.

SVnt verba Tertulliani de Baptiſ. cap 20. *Nobis gratulandum eſt, ſi non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines noſtras.* indicat eos, qui baptizati ſunt à S. Iohanne publicè confeſſos fuiſſe ſua delicta. illos autem, qui confitebantur peccata, baptiſmum cum vellent ſuſcipere, non palam dixiſſe qua in re peccâſſent. puto his verbis Tertullianum appoſuiſſe hanc cõfeſſionem priuatam, quæ præmittebatur Baptiſmo, illi, quæ cum pœnitentia coniuncta erat, & exomologeſis à Tertulliano appellatur non vno loco. Certè qui ſacramentum pœnitentię obibant in veteri Eccleſia, videntur palam, hoc eſt, in Eccleſia dixiſſe quid commiſiſſent. Tanta erat pietas eorum, qui illa tẽpeſtate colebant Chriſtum. Aucto deinde Chriſtianorum numero mos obtinuit, vt in aurem Sacerdoti delicta narrarentur.[a] Mirum autem non eſt confeſſionem, quę tempore Tertulliani placebat nonnullis ſuſcepturis Baptiſmum priuatim peractam, quandoquidem potuiſſet omninò omitti. hæc mea eſt de Tertulliani loco ſententia, quam tamen paratus ſum reijcere, ſi quis docuerit à me non rectè intellectam.

[a] *Ne hæreas, vide quæ vberiùs expono infrà in lib. de Vita Chriſtian. ante Conſtant. Cap. 51.*

Quid traxerit in errorem S. Cyprianum?
Cap. xlv.

MAximi cum faceret Tertullianum Cyprianus, eumq; ſuum appellaret Magiſtrum, mirum non eſt, ſi incautè ab ipſo hauſerit errorem de rebaptizandis ijs, qui baptizati fuiſſent ab hæreticis. Tradiderat errorem Tertullianus in lib. de Baptiſmo cap. 15. poſtquã enim dixit vnum eſſe Baptiſmum, ſubiungit: *Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos vtiq; teſtatur ipſa adoptio communicationis. non debeo in illis cognoſcere, quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis, & illis, nec vnus Chriſtus. ideſt idem, ideòq; nec baptiſmus vnus.* plura digeſſerat in opere Græco, quod de hac compoſuerat materia, aut de Baptiſmo in genere, licet prolixius ageret de Baptiſmo hæreticorum. opinionẽ igitur ſuam hauſit à Magiſtro S. Cyprianus, multiſq; & iiſdem argumentis, quibus vſus fuerat Tertullianus, conatus eſt defendere. ſed cum conſuetudo Eccleſiæ Catholicæ contrarium ſuaderet ſentire, illuc res deducta eſt à S. Cypriano, vt exiſtimaret talis conſuetudinis non eſſe habendam rationem. quod tamen non feciſſet, ſi habuiſſet rationem eorum, quæ exarauerat Tertullianus in lib. de corona cap. 2. *Nec nullum, nec incertum videri poteſt delictum, quod committitur in obſeruationem, ſatis auctoratam conſenſus patrocinio.* ſed

horum non habita ratione, maluit ad defenſionem malæ cauſæ aduocare ea, quæ Tertullianus in principio de Velandis Virginibus profert contra conſuetudinem. cap. 1. ait contra veritatem neminem præſcribere poſſe. *non ſpatium temporum*, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. ſubijcitq; conſuetudinem initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate ſortitam in vſum per ſucceſſionem corroborari. bis igitur peccauit cum Tertulliano S. Cyprianus, & cum dixit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis, & cum conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ putauit eſſe improbandam. Cur verò error de Baptiſmo hæreticorum non eſt ſtatim damnatus in Tertulliano? fortè ſcriptorum ipſius non habita eſt ratio, cum mortuus eſſet extra gremium Eccleſiæ. Sed cur S. Cyprianus adeò diligenter hominis Hæretici euoluit libros? cur Epiſcopus Catholicus ſolitus eſt appellare Tertullianum ſuum Magiſtrum? ſuſpexit in ipſo bona plurima, maximamq; doctrinæ, & eruditionis copiam. Nunquam autem, vt puto, incidiſset in errorē, ſi tanti non feciſset Tertullianum.

Quid ſentire videatur Tertullianus de ijs, qui in veteri Teſtamento pro veritate mortui ſunt? Cap. xlvj.

IN veteri Teſtamento aliqui ſanguinem effuderunt pro veritate, etſi igitur profecti ſunt ad inferos, inferumq;

ſerumq; commune hoſpitium, videntur tamen à Chriſto illuc deſcendente translati ex communi hoſpitio in priuatum, quod Paradiſus appellatur. conditio ipſorũ fuit deterior reliquis martyribus, qui rectà, vt docet Tertullianus, tendunt in Paradiſum. Reſponderet ipſe, eos, qui pro veritate mortui ſunt in veteri Teſtamento, non fuiſſe Martyres propriè ſic dictos. Non enim mortui ſunt pro Ieſu. ideò ait Tertullianus, *extraordinariam* mortem obitam *eſſe pro Chriſto* à martyribus. videtur igitur exiſtimare Tertullianus omnes eos, qui mortui ſunt in veteri Teſtamento profectos fuiſſe ad inferos, atq; illic in communi hoſpitio manſuros vſq; ad diem reſurrectionis.

Quædam obijciuntur aduerſus ſententiam Tertulliani de Paradiſo.
Cap. xlvij.

PAradiſus ſecũdum Tertullianum dicitur locus apud inferos, ſed locus ſeiunctus, ſed priuatum hoſpitiũ, quo tantum Martyres excipiuntur. En verba Tertulliani cap. 55. *quomodo Iohanni in ſpiritu Paradiſi regio reuelata, quæ ſubijcitur altari, nullas alias animas apud ſe præter martyrum oſtendit? quomodo Perpetua fortiſſima martyr ſub die paſſionis in reuelatione Paradiſi, ſolos illic commartires ſuos vidit*. vides duplici argumento conari probare Tertullianum ſolos martyres excipi priuato hoſpitio.

tio. Sed nonnulla objjciuntur aduerſus ſententiã Tertullianeam. nam latro martyr non fuit, & tamen ait illi Chriſtus: *hodie mecum eris in Paradiſo*. Falſum igitur eſt ſolos martyres excipi Paradiſo. Hinc etiam liceret colligere vacuum fuiſſe Paradiſum, vſq; ad tempora S. Stephani, qui fuit primus martyr, ſi ſoli martyres excipiuntur Paradiſo. vetus enim Teſtamentum nullos habuit martyres propriè ſic dictos.

Non eſſe eadem apud Tertullianum ſinum Abrahæ, & Paradiſum. Cap xlviij.

NON idem eſt ſinus Abrahæ apud Tertullianum cum Paradiſo. Nam ſinus Abrahę videtur eſſe locus communis apud inferos, in quo Patriarchę, & Prophetæ, & quicumq; alij etiam fideles noui Teſtamenti expectant reſurrectionem, exceptis martyribus ſolis, qui priuato quodam excepti hoſpitio degunt in Paradiſo. id ſentire Tertullianum colligere eſt ex ipſius verbis cap. 55. de anima. & eſſe eos reijciendos, qui non putant fidelium animas inferis dignas, *ſerui ſuper Dominũ, & diſcipuli ſuper magiſtrum, aſpernati ſi fortè in Abrahæ ſinu expectandæ reſurrectionis ſolatium caperent*. vides omnium fidelium animas apud inferos collocari, inq; ſinu Abrahæ. narrat autem Perpetuam in reuelatione Paradiſi ſolos vidiſſe martyres, vt alia omittam. vndè diſcere eſt, longè præferri à Tertulliano Paradiſum ſinui Abrahæ.

De

De Martyrum Animabus comparatis cum Chriſto. Cap. xlix.

MArtyres ſecundum Tertullianum recta tendunt in Paradiſum, non mancipantur communi hoſpitio apud inferos. Sed Chriſtus dicitur Martyr in S. litteris, non igitur profectus eſt ad inferos. Reſponderet fortè Tertullianus ſingulari de cauſa illuc ſe contuliſſe animam Chriſti, vt ſcilicet compotem ſui faceret Patriarchas, & Prophetas. quod dici non poteſt de martyribus. iam ratiocinabitur quis contra Tertullianum, & inquiet animas martyrum proficiſci in Cælum, quia Chriſtus martyr profectus eſt. Negabit ipſe fas eſſe à Chriſto ad martyres transferre argumẽtationem, cum Chriſtum conſediſſe ad dexteram Patris, in Cęlũq; aſcendiſſe diſertè S. litteræ teſtentur. hæc affero, vt magis, ac magis ſententia Tertulliani de inferis innoteſcat, non quod eam putem omni ex parte veram eſſe.

Cur deſcendiſſe ad inferos Chriſtum putarit Origenes, aut Tertullianus? Cap. l.

IN diuerſa abiuerunt Origenes, & Tertullianus de deſcenſu Chriſti ad inferos quando egerunt. Origenes enim, quia putat pænas apud inferos non eſſe

æter-

æternas exiſtimauit Chriſtum ideo deſcendiſſe ad inferos, vt illinc eriperet etiam infedeles, & eos qui deſtituti vera iuſtitia mortui erant. Tertullianus lib. de anima cap. 55. docet ideò tantum deſcendiſſe ad inferos, vt apud Patriarchas inuiſeret, communemq; piorũ veteris Teſtamenti ſubiret conditionem. non ergo ait Tertullianus ereptos fuiſſe ex inferis, & translatos in Cælum Patriarchas, cum dicat eos ad finem vſq; mundi illic manſuetos. audi eius verba cap. 55. *Chriſtus huic quoque legi ſatisfecit ex forma humana mortis apud inferos functus deſcendit, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes faceret. habes regionem inferûm credere ſubterraneam, & illas cubito pellere, qui ſatis ſuperbè non putant animas fidelium inferis dignas, ſerui ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper magiſtrum.* hæc ibi. vides igitur putaſſe Tertullianum, non eripuiſſe Chriſtum Patriarchas ex inferis, cum illic maneant vſq; ad reſurrectionem: ſed Origenes exiſtimat eripuiſſe omnes, etiam infideles.

Non dixiſſe eos, contra quos diſputat Tertullianus, vbi putarent eſſe Paradiſum.

Cap. LI.

ERant tempore Tertulliani, vt colligitur ex ipſius libro de anima cap. 55. qui exiſtimabant Paradiſi nomine ſignificari locum, quo translati fuerint ex inferis Patriarchæ, & Prophetæ à Chriſto illuc deſcendente. Addebant iam animas fidelium migrare in Paradi-

ſum

ſum non ad inferos. Sententiam ſuam tuebantur his argumentis. non ſunt dignæ inferis animæ fidelium, *quod diſcrimen Ethnicorum, & Chriſtianorum, ſi carcer mortuis idem?* Cur deſcendit ad inferos Chriſtus, niſi vt transferret inde Patriarchas, & Prophetas? & Chriſtus adijt inferos, ne nos adiremus. Sed non diſertè aiebant, vbi putarent eſſe Paradiſum. nam Tertullianus inquit, *in æthere dormitio noſtra, aut in aere, aut circa lunam.* Imò in Paradiſo. ſed non aiebant in Cælo eſſe Paradiſum.

Quibus argumentis conetur Tertullianus oſtendere, animas ante iudicium in Cælum non migrare. Cap. lij.

ANimas fidelium, nec etiam martyrum migrare in Cælum iam conatur oſtendere Tertullianus lib. de anima cap. 55. *quo anima,* inquit, *modo exalabit in Cælum, nondum Dei iuſſu per tubam Archangeli audito? nulli patet Cælum terra adhuc ſalua. cum tranſactione Mundi reſerabuntur regna Cælorum.* Paradiſi regio ſubijcitur altari, ad quam ſolis martyribus patet acceſſus. ſi martyres tendunt ſub terras, quæ anima migrabit in Cælum ante Iudicium? obijciebant aliqui, ſi animæ proficiſcuntur ad inferos nullum eſt diſcrimen Ethnicorum, & Chriſtianorum. Videtur concedere nullum eſſe diſcrimen ſi loquaris de illis Chriſtianis, qui non effundunt ſanguinem pro Chriſto. Itaq; fidelibus communibus, & Ethni-

cis

nicis idem videtur tribuere hoſpitium. differunt tamen Martires ab Ethnicis, quia ipſi excipiuntur priuato hoſpitio Paradiſi. *Agnoſce itaq; differentiam Ethnici, & fidelis in morte. ſi pro Deo occumbas, tota Paradiſi clauis tuus ſanguis eſt.* hæc ille. tale autem robur non ineſt argumentis Tertulliani, vt non poſſent commodè ſolui. ſufficit enim Chriſtum ingreſſum eſſe cælum, vt ipſum pateat. nam locus Apoc. 6. cum myſticus ſit, argumentationem validam non texit.

De Tertulliani Presbyteri vxore: Cap. liij.

TErtullianum fuiſſe presbyterum, & habuiſſe vxorem nullus ambigit. illud enim teſtatur S. Hieronymus de Script. Eccleſ. hoc dicimus ex lib. ipſius Tertulliani ad vxorem. Sed num fieri ſacerdos potuit, cum eſſet coniugatus? non repugnat S Paulus, dum inquit de Epiſcopo: *Sit vnius vxoris vir*, quibus verbis bigamos excludit, admittitq; eos, qui vnam habent vxoré. quod autem profert S. Paulus de Epiſcopo, id cur ad Presbyteros non transferimus? fortè dices eos, qui fiebant Presbyteri, pollicitos fuiſſe ſe deinceps non vacaturos rei vxoriæ, atq; idem videri dicendum de Tertulliano. ſed vnde id didicimus? proferendum eſſet aliquid ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Fateor multos ſolitos abſtinere deinceps à re coniugali, id autem erat voluntatis non neceſſitatis. nec poterat id fieri, niſi vxor conſentiret.

tiret. neq; enim Sacerdotium ſoluebat coniugium. cum nuſquam legamus Sacerdotio ſolutum fuiſſet matrimonium. Hæc omnia ſic proferuntur de Sacerdotibus Græcis, aut etiam Africanis, vt non propterea negligatur mos Eccleſiæ Romanæ, quæ cælibes tantum admiſit ad Sacerdotium, neq; permittit, eos, qui rei coniugali dant operam diuina tractare.

Veriſimile eſſe Tertullianum in Sacerdotio abſtinuiſſe à re Vxoria. Cap. Ijv.

VIdetur Tertullianus factus Presbyter abſtinuiſſe à re vxoria. dimiſiſſe autem vxorem nequaquam eſt exiſtimandus, quandoquidem librum ad ipſam ſic ſcripſit, vt appareat virum alloqui vxorem ſuam. fortè dices ab ipſis emiſſum fuiſſe votum continentiæ. ſed poteſt abſtineri à re vxoria abſq; eo quod emittatur votū. perpetuum autem votum continentiæ ab ipſa non fuiſſe emiſſum apparet ex lib. Tertulliani, vbi conatur ei ſuadere, ne nubat, ſi ipſe mortuus fuerit. quod ſi tamen nubere velit, rogat, vt nubat Chriſtiano, non Gentili. Quæ omnia ſuperuacanea fuiſſent, ſi emiſiſſet votum. quæro porrò, num ſi priuatim vouerent vir & vxor continentiam, fieret diuortium ſecundum leges Romanas? id videtur affirmandum, cum intelligi nequeat coniugium abſq; animo procreandorum liberorum. Nam qui emittebant votum, deinceps non habebant animum procreandæ prolis.

An S. Paulus vetuerit, ne viduæ Chriſtianæ nuberent Gentilibus? excutiuntur verba 1. *Cor.* 7. nubat tantũ in Domino. Cap IV.

SAnctus Paulus permittit vt nubat vidua, *tantum in Domino* 1. Cor. 7. Quo loco ait Tertullianus lib. 2. ad Vxor. cap. 1. 2. 3. Apoſtolum iubere viduæ Chriſtianæ, ſi velit, non alij, quam Chriſtiano nubat. *in Domino*, hoc eſt, *indubitatè Chriſtiano*. contenditq; pluries Apoſtolum hoc non ſuadere, ſed iubere. Quid enim eſt illud, tantum? quaſi dicat, non permitto ei nubere, niſi in Domino, niſi nubat Chriſtiano. ſic etiam verba Tertulliani ferè interpretãtur Theophylactus, & Theodoretus in commentario. Negare tamen non poſſumus aliquid obſcuritatis adeſſe. Cur enim non diſertè loquitur in re tam graui? Nam quis non videt verba Apoſtoli aliò poſſe trahi? Certè Gagneius eruditus interpres ſic exponit: *in Domino, ideſt ſecundum Dominum hoc eſt caſtis & honeſtis nuptijs cum ſpe procreandorum liberorum*. Quæ verò nubebant Gentilibus, putabant ſe in Domino inire nuptias caſtè, & honeſtè, vt procrearentur liberi. Illa enim videtur in Domino nubere, quæ nubit ei, cum quo connubium habet ritè, & ſecundum mores patrios. An autem in honeſtis caſtiſque nuptijs puellæ, vel viduæ Chriſtianæ requiratur, vt nubat Chri-

ſtiano

ſtiano, hoc eſſet aliunde probandum, niſi Doctores ſic interpretati fuiſſent verba Pauli. putárim autem S. Apoſtolum voluiſſe diſertè dicere viduam chriſtianam non poſſe nubere alij quam chriſtiano, ne inuidiam conflaret religioni ſanctæ. putáſſent enim valdè ſuperbè locutum Apoſtolum, qui nollet Chriſtianas viduas Gentilibus nubere. Aſt obijciebant, qui fauebant matrimonijs cum Gentilibus, noluiſſe Paulum Chriſtianam fœminam diſcedere à Gentili, & docuiſſe Gentilem infidelem ſanctificari in vxore fideli. Nihil oberit infidelitas Gentilis fidei vxoris Chriſtianæ. Cur igitur non poterit chriſtiana puella nubere Gentili? Reſpondere eſt, Apoſtolum nolle ſolui nuptias initas, ſed non propterea permittere iniri nouas. ſi dicas, eadem ratione poſſe iniri nuptias, qua non diſſoluuntur, reſpondebimus plus eſſe inire nouas nuptias, quam initas non ſoluere. nam ſi mulier Gentilis amplectatur religionem Chriſtianam, non propterea deſinit eſſe vxor viri infidelis, vt docet ipſe Paulus 1. Cor. 7. qui tamen non permittit puellam Chriſtianam nubere Gentili, quamuis tempore Tertulliani nonnulli, quos ipſe meritò oppugnat, aliter exponerent Apoſtolum.

An mundus ſecundum ſubſtantiam, an tantum ſecundum qualitatem eſſe interiturum putârint antiqui Chriſtiani? Cap. lvj.

COElum & terra præteribunt. Cœlum primum, & terra prima abierunt, & locus non eſt inuentus illis. opera manuum tuarum Cœli. ſtellæ de Cœlo ruent. montes liqueſcent tanquam cera. paludes arefaciam. quærent aquam & non inuenient. hæc omnia fuit qui putauit teſte Tertull. contra Hermog. c. 34. *ſpiritualiter interpretanda.* ipſe tamen Tertul. ex his conatur colligere mundum hunc in nihilum redigendum. *Cœlum,* inquit, *conuoluetur vt liber, imò nuſquam fiet non ipſa terra.* quod amittit locum, finit. Cœlo & terræ non eſt inuentus locus. Mutabuntur Cœli, ideſt, peribunt, nam quicquid mutatur, perit priſtino ſtatui, quem dum mutatur amittunt. contendit non poſſe veritatem auferri ita futurorum, quomodo ſcripta ſunt. Reuertitur inde ad cauſam, *definientem omnia ex nihilo edita, in nihilum peruentura.* Origenes putauit ſic deſtruendum mundum, vt nouus condatur, cum Apocalypſis dicat, viſum fuiſſe Cœlum nouum, & terram nouam, priora enim non fuiſſe amplius. Non autem ita accuratè expendit verba S. Petri 2. cap. 3. Tertullianus. En tibi ea ipſa. *Cælum & terra igni reſeruati in diem iudicij. Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. hæc omnia diſſoluenda*

ſunt. Cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent. nouos verò Cœlos, & nouam terram expectamus. nonnulli hebræorum locum Pſal. 102. ſic interpretantur, vt dicant quod ſua natura Cœli ſunt corruptibiles, ſed tu eos in æternum conſeruas. Noſtri doctores pleriq; intelligunt de interitu qualitatum, non ſubſtantiæ. mutabuntur, ſoluentur, & innouabuntur. videndus Hieron. Ep. 51. Proclus apud Epiph. Her. 64. Cęſarius quæſt. 71. Theodor. in cap. 1. Epiſt. ad Hebr. *ſignificauit ab eo faciendam creaturæ mutationem in id, quod eſt præſtantius.* Theophylact. in cap. 1 · ad Hebr. *cuncta à corruptione in incorruptionem immutentur neceſſe eſt, et tam facile quam ſi quis pallium complicet.* An repugnat hodie fidei ſententia Tertulliani aſſerentis cuncta in nihilum redigenda? Nam videtur Eccleſia id definiuiſſe. Quale verò eſt ſenium mundi? an deterior poteſt fieri moles vniuerſi? An abiret in nihilum ſua natura, vt retulit D. Chimhi exiſtimaſſe quoſdam? nihil profecto poteſt ſe ipſo ire in nihilum. Explicet qui poteſt, qua indigeat mutatione, & nouatione mundus, vt in meliorem transferatur ſtatum. nam quid nunc deſit vniuerſo fateor eſse difficile explicare. Mirari tamen ſubit Tertullianum adeò clare docuiſse in nihilum redigendum mũdum. an tunc ſic ſentiebant Chriſtiani? Saltem aliqui eius erat opinionis, quam tutari conatus eſt Tertullianus.

Reſp.

Repugnantia quædam in Tertulliano deprehenditur Cap. lvij.

Alibi oſtendi ex lib. contra Hermogenem exiſtimaſſe Tertullianum, hunc mundum in nihilum redigendum à Deo. verba Tertulliani non profero, cum iã prolata alibi ſint: in lib. porrò de ani. ait in ſubterraneis locis terræ eſſe inferos cap. 55. ſi loquitur. *Nobis inferi non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur ſed in foſſa terræ, et in alto vaſtitas, et in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas.* Si totus orbis in nihilum redigetur, ipſi quoq; inferi in nihilum abibunt. ſi dicas inferos ſaltem non redigendos in nihilum, vt ſit locus in quo plecti queant, mali, regeret ipſe contra Hermog. cap. 34. *Cælum nuſquam fiet cum ipſa terra. diſpoſitio omnia in nihilum redactura eſt.* Nec prodeſſet argumentum, ſi diceret partem terræ non eſſe in nihilum redigendã. vt enim oſtendat Tertullianus omnia ex nihilo eſſe, omnia in nihilum eſſe redigẽda ait. quid poſſit pro Tertulliano reſponderi, vix video. Certè vix vllus Chriſtianorum ſcriptorum ei largietur omnia in nihilum eſſe redigenda. nec indigemus ea probatione, vt oſtendamus omnia ex nihilo eſſe facta, cum aliunde fas ſit oſtendere Deum ex nihilo omnia feciſſe. æſtu diſputationis abreptus Tertullianus aſſeruit omnia in nihilum redigenda. quod non dixiſſet, ſi cogitaſſet, apud inferos fore locum æterni ſupplicij.

Finis Salebrarum Tertull.

DE EDITIONE OPERVM TERTVLLIANI.

AVres mihi multi obtundunt, quærendo ſubinde, ex qua potiſſimùm editione eruditiſſimi, acerrimiq; Tertulliani opera ſint comparanda, cum ſæpe, & variè prodierint? quibus iam toties reſpondi, millies idipſum repetiturus, ſi opus ſit, mihi maximè eam probari editionem, quam nouiſſimè procurauit, fauente frequentiſſimo eruditorum hominum Senatu, V. Cl. Nicolaus Rigaltius. Collatis enim optimæ notæ manuſcriptis, qui haberi potuerunt, ſic excepit Tertulliani monumenta, vt totum opus quam emendatiſſimum publicæ luci exhibuerit, atq; repræſentárit, typho atq; oſtentatione procul ire iuſſa, cui dum indulgent pleriq; Critici, & ſyllabis corrigendis moroſè immorantur, totum genus eiuſmodi literarũ inuiſum grauibus hominibus, qui correctiunculas pueriles ferre nequeunt, reddunt. in alia omnia Vir prudens & à vanitate remotiſſimus abiuit Rigaltius, cui ſatis fuit indicare ex quibus Manu-

nuſcriptorum fontibus, pura & limpida Tertulliani flu-
enta deduxerit, atq; deriuauerit. Cum verò Tertullia-
nus mirè ingenioſus, argutè Africanum in modum fa-
cundus, atq; etiam obſtinatè efficax, & ſuperbus, è
ſchola Iuriſconſultorum egreſſus, vagatus per omne
genus librorum, ſingularem loquendi rationem, pecu-
liaria vocabula, propriaſque exſculpſerit phraſes, ſum-
ma vſus diligentia Rigaltius in indicem Alphabeti-
cum redegit, verba modoſque dicendi Tertullianeos,
quibus ſi quis vti tempeſtiuè in rem ſuam norit (neque
enim aſperitatem talis ſtyli imitatione dignam puto)
næ ille orationem reddet multis luminibus illuſtrem, ad
quam fruſtrà aſpirauerint plebeia ingenia. Alio etiam
nomine Rigaltius commẽdandus eſt labor. nam anno-
tationes non multas quidem neq; prolixas, ſed planè
eruditas, maſculas & generoſas adiecit, quas legi rele-
giq; cupiam à ſtudioſis Eccleſiaſticæ antiquitatis, pri-
ſcæq; Theologiæ. ipſis ſi velint addere opellam meam,
quam Salebras Tertullianeas inſcripſi, eos fortè nauа-
ti laboris non pœnitebit. Cerdam potiſſimum com-
mendari à Patribus ſocietatis, quando de Tertulliani
libris euoluendis agitur, non ignoro, nec miror. Cur
enim ſuos præ alijs non laudarent, cur ſui ordinis glori-
am remis veliſq; non promouerent? Ne tamen ſuccen-
ſeant illis, qui Rigaltium complectuntur, de Cerda mi-
nimè ſolliciti.

R.P. Frater Donatus Antellenſis Ordinis Prædicatorum videat hoc opus, & referat an poſſit imprimi. 8. Auguſti 1639.

Laurentius Capponius Vic. Subſtit. Flor.

Opus Doctiſſimi, & eruditiſſimi viri D. Paganini Gaudentij, cui titulus SALEBRÆ TERTVLLIANEÆ, &c, attente vidi iuſſu Perilluſtris, & Reuerendiſſimi D.D. Laurentij Capponij Vicarij Florentini Subſtituti nihilq; in eo offendi à Fide Catholica deuium, aut bonis moribus obuium, imò cum in eo tanquam in nitido ſpeculo multorum errata optimè conſpici, & corrigi poſſint, prælo digniſſimum iudico. Dat. Florentiæ in Conuentu S. Mariæ Nouellæ die 14. Auguſti 1639.

Fr. Io. Donatus Antellenſis Sac. Theol. Magiſter Metaphyſicus Vniuerſitatis Piſarum, & S. Officij Conſultor, &c.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Inquiſitori. Die 14. Auguſti 139.

Laurentius Capponius Vic. Subſt. Floren.

P. Mag. Antonius Falagianus Ord. Min. Con. videat, & referat an hoc opere Excellentiſſimi Domini Paganini Gaudentij quid contineatur, quo minus imprimi poſſit. Florentiæ die 16. Auguſti. 1639.

F. Io. Muzzarellius Inquiſ. Gener. Flor.

Ego Fr. Antonius Falagianus vidi, & nihil ſanè Fidei, boniſq; moribus aduerſari in ſupraſcriptis reperi. Et in fide, &c.

Item F. Antonius qui ſupra manu propria.

Imprimatur Florentiæ hac die 17. Auguſti 1639.

F. Io. qui ſupra Inquiſit. Generalis.

Alexander Victorius Sereniſs. Magni Ducis Aud. & Sen.

Digitized by Google

DE VITA CHRISTIANORVM
Ante Tempora CONSTANTINI
Liber

PAGANINI GAVDENTII
Theologi.

FLORENTIÆ
Typis Nouis Amatoris Maſſę, & Soc. 1639.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

DE VITA CHRISTIANORVM
Ante Tempora Conſtantini.

Exiſtimaſſe Chriſtianos veteres, aduerſus mores receptos communi conſenſu fas non eſſe mouere quaſtionem. Cap. j.

MOres ſuos maximi faciebant Chriſtiani, adeò vt nullam paterentur iniri de ipſis quæſtionem, nullam excitari controuerſiam. abſurdum namq; foret dicere Chriſtianos eſſe, & tamen aliquibus incumbere moribus, qui aut legi Chriſti, aut rectæ aduerſarentur rationi. Ergo extra omnem contentionis aleam collocabant id, quod apud omnes obſeruabatur Chriſtianos. dicerent Iuriſconſulti cõſuetudinem eſſe legem tacitam, & non ſcriptam. At contra leges fas quis dicat eſſe diſputare? de ſenſu earum quærere licet, ſi in ijs exponendis contingat obrepere obſcuram aliquam ambiguitatem: Summam verò ipſarum, in diſcrimen oppugnando dare non licet. animaduertendum porrò mo-

Digitized by Google

rum apud ipſos obſeruationem appellatum. Diſce id ex Tertulliano lib. de corona cap. 2. vbi primum agnoſces robur, quod habet mos, à conſenſu nēpe. An enim ei rei licet obſtrepere, quam cōmuni conſenſu eorum, inter quos degimus, munitur? *nec nullum, nec incertum videri poteſt delictum, quod committitur in obſeruationem ſuo iam veridicandam nomine, et ſatis auctoratam patrocinio.* Non negat eſſe quærendam rationem, vt etiam in legibus quotidie eam quærunt iuris anteceſſores: *ſed ſalua obſeruatione, nec in deſtructionem eius, ſed in ædificationem potius, quo magis obſerues, cum fueris etiam de ratione ſecurus.* hæc protuli, vt intelligamus quanti ſint facienda illa, quæ de vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini deinceps proferentur. duplex verò hominum genus impetunt Tertulliani verba, quorum primū eſt eorum, qui de moribus antiquorū Chriſtianorū quādo aliquid ex veteribus Scriptorib. depromitur, calcata priſcæ obſeruationis (vtor verbo Tertulliani) auctoritate, ad Apoſtolos prouocant. O ſapientes homines. ò gnaros rationis de ijs, quæ tradita ſunt ab Apoſtolis mouetur quæſtio, nos vt rectè omnia exponamus, voluimus libros eorū, qui nō diù poſt Apoſtolos vixerunt. credibile eſt homines, qui nudius tertius emerſerunt, melius interpretari dicta Apoſtolica, quàm expoſuerint illi, qui à beatis illis tēporibus parū abfuerunt? faceſſat igitur Geneua cum ſuis Caluino, & Beza. diſplicent verò mihi illi, qui inani quadam ſubtilitate accincti ſuperbè de ijs pronunciant, quæ leguntur apud vetuſtiſſimos, ſi non cōcinant omni ex parte cum illis, quæ ipſi altercan-

do à ſui generis hominibus hauſerunt. aiunt enim: hæc olim, quæ poſtea fuerunt illuſtrata, & melius expoſita. en cor doctorum, qui volunt ſupra antiquitatem Chriſtianam ſapere.

De difficultate, quam Chriſtiani in vita ciuili, ſi nollent in Idololatriam incidere. Cap ij.

DE vita Chriſtianorum, quando ſuſcipitur diſputatio, illa diligenter ſunt perpendenda, quæ cum aliqua Idololatriæ labe poterant eſſe cōiūcta, à qua tamen ipſi ſummopere abhorrebant. quamuis verò ſemper vitanda foret Idololatria, nō tamen ſemper ſe ipſos prodere debebant Chriſtiani, oſtendereq; palam, quā colerent Religionem, iuxtaq; quem ritum viuerent, ne quotidie in præſens diſcrimen darent caput. vides cui difficultati ſubeſſent. hinc enim vtendum erat familiariter hominibus, degendumq; inter mortales ciuili ſocietate: illinc abſtinendū erat ab Idololatria, ad quam omni propè momento, niſi valdè eſſent cauti, videbatur impingendum. Nec idem omnes ſentiebant de quibuſdam actibus. aliqui enim minus ſeueri putabant nonnulla Idololatriæ eſſe expertia, alijs exiſtimantibus, qui ſeueriores erant, nequaquā poſſe obiri à Chriſtiano ſalua Religione. Hos noſtri temporis Theologi appellarent caſus conſcientiæ, quales non paucos legere eſt apud Tertullianū toto libro de Idololatria, in quo ſimul indicat non idem omnes ſenſiſſe. ipſe ad ſeueritatem

fle-

flectit, oppugnatq; non paucos, qui ſibi in multis indulgebant, & blandiebantur. Eorum non ſigillatim facio mentionem, cum aliquot earum quæſtionum exhibeat liber hic, de vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini. facilius porrò vitabant Idololatriam Fæminæ, quæ à muneribus ciuilibus excludebantur; quàm viri. Quis enim non videt eiuſmodi munera cum Idololatria fuiſſe coniuncta? in quam rem legi debet Tertullianus lib. de Idololatria facilius etiam ſibi poterant cōſulere plebeij, obſcuriq; homines, quàm patritij, atq; clariſſimi. viri namq; in dignitate aliqua conſtituti vti cogebãtur inſignibus, quæ ait Tertullianus inſerta fuiſſe Idololatriæ. ſcio putare aliquos, valdè obſcurũ, atq; abiectũ vulgus fuiſſe Chriſtianos ante tempora Conſtantini. Negare tamen non poſſumus, Chriſtianos quoq; fuiſſe aliquos genere, dignitate, diuitijs conſpicuos, qua de re ſi quis dubitet, is ſibi poterit eximere ſcrupulum lectis verbis Tertulliani cap. vlt. lib. ad Scapul. *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris, ac fæminis, omnis ſexus, omnis dignitatis? quid Carthago paſſura eſt, cum illic vnuſquiſq; viderit fortaſſe, & ſui ordinis viros, ac matronas, & principales quaſq; perſonas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos?* videtur autem Scapula fuiſſe tunc Proconſul Africæ.

An omnium rerum communio vigeret apud Chriſtianos? Cap. iij.

VIdentur Chriſtiani ante Conſtantinum nihil priuatim poſſediſſe, ſed omnia in commune contuliſſe. Qua in re dixeris fuiſſe imitatos tempora Apoſtolorum, de quibus videnda ſunt Acta Apoſtol. cap. 4. & 5. depromātur verba Tertulliani ex Apolog. cap. 39 *ex ſubſtātia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaq; qui animo, animaq; miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores.* quæ vidētur oſtēdere omnia apud Chriſtianos fuiſſe cōmunia. verum quæ prolata ſunt, ſic ſunt exponenda, vt intelligamus liberaliter contuliſſe Chriſtianos pecuniā, qua pauperibus auxiliū ferretur. Quicquid igitur id erat, quod commune cenſebatur inter Chriſtianos, id vltro, & ſpontè collatum fuerat ab ijs, qui poterant. Quod percipi poteſt ex verbis præcedentibus eiuſdem Scriptoris. inquit enim. *Modicam vnuſquiſq; ſtipem menſtrua die uel cum uelit, & ſi modo uelit, & ſi modo poſſit, apponit. nam nemo compellitur, ſed ſpontè confert.* Quis non videt Chriſtianos priuatim poſſediſſe bona, ex quibus aliquid pro lubitu conferebant in vſum pauperum?

Multiplici Idololatriæ fuiſſe obnoxios ludos Circenſes. Cur à Chriſtianis retenti fuerint? Cap. iv.

CHriſtianis nihil fuiſſe cum inſania Circi teſtatur Tertullianus in Apolog. cap. 38. in libro de ſpectaculis inuehitur plurimis verbis in Circum, oſtenditque eum multiplici obnoxium Idololatriæ. *Quot*, inquit, *in habitu loci ipſius Idolloatrias recognoſcis? ſingula ornamenta Circi, ſingula Templa ſunt*. ſigillatim cui Deo quæque pars ſacra ſit recenſet, & ſubijcit: *Animaduerte Chriſtiane, quot nomina immunda poſſederint Circum. Aliena eſt tibi religio, quam tot Diaboli ſpiritus occupauerunt*. Narrat etiam Circenſes ſacrificio exhiberi. nec dubitat pronũciare *à Deo excidere eum, qui Circum ſpectator intrat*. Hęc qui audit, abſq; dubio miratur à Chriſtianis Imperatoribus non fuiſſe ſublatos ludos Circenſes. nam de gladiatoribus tollendis, non aurigis tulit legem Conſtantinus l. vnic. C. de glad. toll. eidẽ Codici inſertus eſt titulus de ſpectaculis l. 1. iubent Imperatores Chriſtiani *Spectacula Agonis reformari*. in 2. non permittunt eos, qui agitandi munus exercent vllis *præter Circenſe certamen* affici ſupplicijs. Ex vitis quoq; Imperatorum Chriſtianorum, quas deſcripſit Zonaras apparet Venetos, Praſinoſq; contrarijs ſtudijs certáſſe in Circo. nec diſſimulat Procopius in Anecdotis infinitam hominum multi-

tudi-

tudinem alimenta ſibi paráſſe eiuſmodi certaminibus: Qua quæſo ratione excuſabimus Chriſtianos ab Idololatria? Reſpondendum eſt, ſic exhibitos ludos, vt tamen omiſſa ſint, quæ ex priſco ritu ſapiebant Idololatriã. In hanc rem proferenda ſunt verba Imperatorum Arcadij, & Hon. Cod. de Pagan. & ſacrific. l. 4. *Vt profanos*, inquiunt, *ritus iam ſalubri lege ſubmouimus, ita feſtos conuentus Ciuium, & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoueri, vndè abſq; vllo ſacrificio, atq; vlla ſuperſtitione damnabili exhiberi populorum voluptates decernimus*.

Chriſtianos exiſtimaſſe nefas per fortunam Cæſaris iurare. Cap. V.

IVrabant mortales apud Romanos promiſcuè per Genium, per fortunam, per ſalutem Imperatoris. Chriſtiani per ſalutem Cæſaris non renuebant iurare: at non poterant adduci, vt per Genium; per fortunam eiuſdem iuramentum emitterent. Diſcere eſt id ex Tertulliano in Apol. cap. 32. *At iuramus, ſicut non per Genios Cæſarum*. S. Polycarpus apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap 15. nunquam potuit cogi, vt per fortunam Cæſaris iuraret. *Proconſul dicit iura per Cæſaris fortunam: iura, & dimittam te. vrgente iterum Proconſule, ac dicente, iura per Cæſaris fortunam, regerit Polycarpus: Si inanem hanc iactantiam, quæris, vt iurem per Cæſaris fortunam, ſimulans te neſcire, quis ſim, liberè audi: Chriſtianus ſum*. vides ideò noluiſſe iurare Polycarpum per Cæſaris for-

tunam, vt hinc diſcamus exiſtimaſſe Chriſtianos fas non eſſe, vel per Genium, vel per fortunam iurare Cæſaris.

Cur per Genium, & Fortunãm Cæſaris nollent iurare Chriſtiani? Cap. vj.

QVærendum hic, cur nefas eſſe dicerent Chriſtiani per Cæſaris Geniũ, aut fortunam iurare? Genium putabant Gentiles eſſe Deum, quem etiam re ſacra placare ſolebant. Etſi igitur ſcirent Chriſtiani Imperatorem non deſtitui Angelo Cuſtode, quia tamen Nationes aiebant Angelum hunc eſſe Deum, ne errori accinere viderentur Chriſtiani, reijciebant eiuſmodi iuramentũ. Adde ideò Gentiles credidiſſe Cęſarẽ eſſe Deum, quia Genius eius Deus eſſe ipſis videbatur, Chriſtiani autem recuſabant Cæſarem appellare Deum, vt alibi ex Tertulliani Apologetico puto me annotáſſe. Cur etiam per fortunam Cæſaris nollent iurare, facile eſt explicare. nã eam opinabãtur eſſe Deã, & tanquam Deam in Cœlo collocabant Gentes. An iuraſſent per fictum Numen Chriſticolæ? non id eis poterat perſuaderi.

Chriſtianos ſolitos iurare, & quidem etiam per ſalutem Imperatorum. Cap. vij.

VIdentur Chriſtiani ab omni abſtinuiſſe iuramento, cum Chriſtus dixiſſet: veſter ſermo ſit eſt, eſt,

non,non. quod vltra eſt,à malo eſt. Matth. 5. quæ verba, aut complectuntur præceptum, aut conſilium. Si dicas illud, certè videntur Chriſtiani diligenter cauiſſe à iuramento, ſi iurando lædendum erat Numen. Si dicas in verbis Chriſti tantum contineri conſilium, itidem aſſeres primos Chriſtianos ſublimem affectantes philoſophiam magna cum ſanctitate coniunctam amplexos fuiſſe ambabus manibus ſuaſoria Chriſti monita. Hinc colliges non per Deum,non per vllam rem aliam iurare conſueuiſſe populum Chriſtianum. Reſponderim, cupiuiſſe Chriſtum nouæ legis homines hactenus abſtinere à iuramentis, ne in tanta iuramentorum frequentia cōmitterentur periuria. Satius igitur putabat eſſe ſimplicibus, nudiſq; verbis aliquid affirmare, non verò ſubinde iuramenta ſermoni admiſcere. Eſt verò monitum Chriſti e eorum genere, quæ poſſent obſeruari inter eos, qui omnes Chriſtiani eſſent, & pietatis ſtudioſiſſimos, cuiuſcumq; fraudis expertes. Cœterum quia vita ciuilis omne genus hominum complectitur, nequaquā fieri poteſt,vt cuiuis aliquid affirmanti fides habeatur, etiam abſq; iuramento. nam multi mentiuntur,ſi iurandum non ſit, non audent autem mentiri, quando accedit iuramentum, cum leges non abſq; ſeueritate animaduertant in periuros, & fœdigrafos. Ergo Chriſtianis quoq; cum præſertim pauci degerent inter gentes iurandum erat in negotijs, quibus ad iurandum præibant leges. Nec iurabant tantum per Deum, ſed & per ſalutem Imperatoris. En tibi verba Tertulliani in Apologo cap. 32. *Sed & iuramus, ſicut per non Genios Cæſarum,*

rum, ita per ſalutem eorum, & pro magno id iuramento habemus. vides exiſtimaſſe Chriſtianos fas eſſe iurare etiam per creaturas, quod malum non eſſe ſua natura fatentur, vt alios omittam, duo clariſſimi interpretes Ianſenius, & Maldonatus in cap. 5. Matth. nec enim quiſquis iurat per alium, diuino cultu eum afficit. tantum oſtendit, ſe magnifacere eum per quem iurat, quod etiam aſſerit Tertullianus, quando agit de more iurandi per ſalutem Imperatoris. *nos iudicium Dei ſuſcipimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfert.*

Milites Chriſtianos videri ſolitos iurare per maieſtatem, aut ſalutem Imperatoris. Cap. viij.

CVM Tertullianus teſtetur ſolitos iurare Chriſtianos per ſalutem Imperatoris, ſcirent verò Chriſtiani à ſuperuacaneis abſtinendum iuramentis puto de iuramento militari potiſſimum accipienda verba Tertulliani, licet eiuſmodi formulæ vſus in alijs quoq; negotijs eſſet. militabant Chriſtiani, vt diſcere eſt non ſolum ex Apologetico, cap. 42. verum & ex cap. 1. lib de Corona, at veriſimile eſt ſolitos iurare milites per ſalutem Imperatoris in formula iuramenti militaris, cum apud Vegetium dicantur iurare milites per maieſtatem Imperatoris, & quidem ſolemni more. fateor Vegetium proferre formulam iuramenti militaris, cuius vſus erat

apud Chriſtianos illis temporibus, quibus ipſe ſcribebat. veriſimile tamen eſt in formula iuramenti militaris, qua vtebantur tempora ante Cōſtantinum, fuiſſe comprehenſa illa verba; per ſalutem, aut per maieſtatem Imperatoris. Cæterum illud monere non omitto, quod præclari interpretes diuinarum rerum aſſerunt, per creaturas iam iurare ſecundum ſe fas non eſſe, licere autem, quatenus ipſæ ad Deum referuntur, & nobis diuinam veritatem quatenus poſſunt, ob oculos ponunt.

Chriſtianos ferè inuitos Imperatorem appellaſſe Dominum. Cap. jx.

Dominum non lubenter appellabant Imperatorem Chriſtiani, tum quod præferret ſuperbiam, & tyrannidem eiuſmodi vocabulum, tum quod Dominus eſſet Deus. En Tertulliani verba in Apolog. c. 34. *Auguſtus ne Dominum quidem dici ſe volebat. & hoc enim Dei eſt cognomen*. inualuit tamen Domini nomen, cæpitq; tribui etiam optimis Imperatoribus. Plinius profectò in Epiſtolis, dum alloquitur Traianum, ſemper eum Dominum vocat, non id facturus, ſi turpem adulationem cum eiuſmodi cognomine putáſſet eſſe coniunctam. vt mirum non ſit, ſi ipſi Chriſtiani non renuerent Imperatori talè tribuere nomen, quod tamen non fiebat tota animi ſententia lubentius enim abſtinuiſſent à vocabulo, quod diuinitatem ſapere videbatur. ſic loquitur Tertullianus: *quando non cogor, vt Dominum, vt*

Dei

Dei vice, dicam. cum verò Romani Dominum appellabant Cæſarem, non ideò putabant ſe libertatis eſſe expertes. nam & Chriſtiani ipſi tandem priuatim ſe cœperunt inuicem Dominos appellare. Imperatorem verò non aliter in ſermonem trahebant, quam pręmiſſo nomine: Dominus, qua de re prolixè ago alibi.

Plurimos Chriſtianos conſueuiſſe accendere lucernas, & coronare fores lætitiæ publicæ cauſa. Cap. x.

AMbigebatur inter Chriſtianos, an liceret lucernas accendere, lauro coronare fores publicæ lætitiæ cauſa, & vt hoc daretur honori Cæſaris. paſſim Chriſtiani tale officium non renuebant. Tertull. de Idolol. cap. 15. *Nunc lucent tabernæ, & ianuæ noſtræ: plures iam inuenies Ethnicorum fores ſine lucernis, & laureis, quam Chriſtianorum*. nitebantur hac ratione, quia hominis cauſa hæc fiebant, neq; honor Dei propterea videbatur tribui homini. inquiebant Chriſtiani: *An honor Dei eſt lucernæ pro foribus, & laurus in poſtibus?* Conſtat Iudæos quoq; diem natalem Herodis celebráſſe accenſis lucernis, vt diſcere eſt ex Perſio. Non id feciſſent, ſi putaſſent Idololatriam committi accenſis ob lætitiam lucernis. Hodie quoq; moris eſt ob victoriam, ob feſtum diem, ob aduentum Principis, ob natum filium Principi accendere lumina. An Idololatriæ nos hac ratione obnoxios reddimus? nequaquam. Tertullianus

tamen,

tamen, vt admodum ſeuerus fuit, docet nefas fuiſſe id facere. nam licet fateatur Dei honorem non eſſe accenſas lucernas, & poſitas lauros, eſſe tamen inquit, *eius qui pro Deo eiuſmodi officijs honoratur*, ſcilicet Imperatoris. ſed negâſſent etiam Gentiles ſe putare Cæſarem eſſe Deum. nam diuinis honoribus non ſolebant colere Imperatores Ethnici, quamuis aliquando, ſed admodum rarò id factum, nõ abſq; reprehenſione occulta eorum, qui tales honores aut poſcebant, aut admittebant. Domitianus quoq; male audiuit, quod voluiſſet vocari Deus. ſed, inquit Tertullianus, oſtia ſunt ſacra oſtiorum dijs Cardeæ, Forculo, Limentino, Iano. Ergo lucernę & lauri tribuuntur ipſorum honori, atq; adeò coluntur Idola, & Dæmones. Reſpondiſſent Chriſtiani illi, ſe accendere lucernas, & lauros ponere præ foribus, non tribuentes hoc honori talium Deorum, ſed præferentes ſigna lætitiæ. perſtat tamen in ſua ſententia Tertullianus, & exiſtimat Deos oſtiorum tanquam honorem ad ſe rapere, quamuis, qui accendunt lucernas, negant ſe ijs accendere. vt verum fateamur, tunc res periculo non carebat ob cultum talium Deorum, qui vigebat. nunc extra diſcrimen poſita ſunt ſigna publicę lætitiæ, cum ſuperſtitio antiqua antiquata fuerit.

Quare Chriſtiani non renuerent accendere lucernas, et coronare oſtia? Cap. xj.

EA etiam de cauſa lucernas accendebant, poſtes lauro coronabantq; ob publica gaudia Chriſtiani, ne viderentur alieni à ſolemni lætitia, neq; ſe proderent palam, ſi omitterent ſigna gaudij, quod ab omnibus præferebatur. Quis enim non interrogâſſet, cur ille vel ille non accenderet lucernam, non poſtes coronaret? facile erat cogitare, aut eum potius dolere lætantibus omnibus, & non eſſe propenſo animo erga Rempublicam, erga Imperatorem. hoc verò non tantum oſtēdebat abhorrere hominē à religione, ſed nec fauere publicæ felicitati. ne ergo vulgi odium in ſe deriuarent Chriſtiani, facile obibant tale officium, quod Idololatriæ carere videbatur. quamuis narret Tertullianus lib. de Idolol. cap. 15. vapulaſſe noctu in viſione Chriſtianum, cuius ſerui ipſo inſcio coronârant oſtium *annuntiatis gaudijs publicis*. fides eius rei ſit penes ſcriptorem.

Qua ratione poſſint defendi Chriſtiani, qui accendebant lucernas? Cap. xij

POtuiſſe accendi lucernas, & poſtes coronari à Chriſtianis, idq; tribui honori Cæſarum abſq; Idololatria, ex eo etiam probauerit quis, quia Chriſtianis Im

pera-

peratoribus poſitæ ſunt ſtatuæ à populo Chriſtiano, non abſq; ſignis publici gaudij, id caruiſſe Idololatria nemo negauerit, nam cæteroqui pietas ipſorum non paſſa fuiſſet tali ſe affici honore. is autem honor longè amplior fuit, quam ſi accenſæ fuiſſent lucernæ, aut poſtes coronati. de ſtatuis porrò Imperatorum Chriſtianorũ habes C. de ſtat. & imag. ſanè ex l. 2. diſcimus diebus feſtis ſolitas eiuſmodi ſtatuas, & imagines erigi non abſq; præſentia iudicis, abſq; tamen adorationis ambitioſo faſtigio. in quam rem conſtitutio à Chriſtianis Imperatoribus edita, & Codici inſerta eſt.

Gentiles auerſatos fuiſſe etiam nomen Chriſtianorum. perpenduntur verba Tertulliani.
Cap. xiij.

Stoici exiſtimabant nullam turpitudinem eſſe in vocabulis. id videtur etiam ſentire Tertullianus in Apolog. cap. 3. conqueritur multos eſſe inuiſos ideo tantum quod Chriſtiani vocantur. *Nunc igitur, ſi nominis odium eſt, quis nominum eſt reatus?* Sanè ipſum vocabulum, vt res eſt, ſiue ſonus, turpe non eſt. ſiue enim ſcribatur, ſiue exprimatur lingua, in ſua ſubſtantia, & vt ſic loquar, in abſoluto nihil mali continet. ſed vocabulorum ratio poſita eſt in ſignificatu, & relatione ad aliud. Quis neget diſcrimen eſſe inter vocabula? vt propterea reijcienda veniat ſententia Stoicorum, quam

non ſequitur Tertullianus. nam ſubijcit ibidem: *Quæ accuſatio vocabulorum, niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum.* ſic explodit Tertullianus Stoicos. Cur ergo conqueritur de Gentilibus, quia nomen Chriſtianorum auerſabantur? aiebant ſæpe hunc eſſe virum bonum, ſed mox addebant eſſe Chriſtianum. ſic videbantur exiſtimare omnia bona eſſe in eo homine, præter nomen. at, inquit, Tertullianus, nominis reatus eſt nullus. ſi namq; fatearis Iucium eſſe virum probum, virum ſapientem, cur auerſaberis ipſum ob ſolum nomen? audi Tertullianũ: (Gentiles) *bonum alicui teſtimonium ferentes, admiſcent nominis exprobrationem, Bonus vir Caius Seius, tantum quod Chriſtianus.* Reuera tamen Gentiles deteſtabantur viros cæteroqui probos, ſed Chriſtianos, quod dicti Chriſtiani ſpernerent Deos, veteremq; cultum ipſorũ. nam ibidem poſtquam dixit: *Oditur in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* ſubdit quaſi nomine Gentilium: *At enim ſecta oditur in homine vtiq; ſui auctoris.* Sic & nos quandoq; de Turcis, Iudæis, Lutheranis, Caluinianis, dicimus: Samuel vir eſt bonus, ſed Iudæus. non enim innocuum hominem putamus eſſe eum, qui Iudæus eſt. crimen certè ponimus in Religione. Atq; ita odimus nomen, quia ſignificat hominem à vera Religione, veroq; numinis cultu aberrantem per auia. Iuſtinus Martyr in Apol. 2. inquit: *Nec enim ad bonorum, malorumq; diſcrimen ſola nomina ſufficiunt, ni conſiderentur, quàm rebus ipſis conueniant.* vides Iuſtinũ non negare habendam rationem nominum, ſed addere diſpiciendum eſſe, num conueniant rebus.

Vulgus apud Gentiles multa mala intuliſſe Chriſtianis. Cap. XIV.

VVlgus apud Gentiles valde vexabat Chriſtianos, & Iudices, quaſi inuitos impellebat in capita innocentium capitum. En verba Tertulliani 2. Apolog. cap. 35. *quoties etiam prateritis vobis, ſuo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus, et incendijs ipſis Bacchanaliū furijs, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quùm illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, auellant, diſſecent, diſtrabant. cap.* 40. docet, ſi Tiberis adſcendit ad mœnia, ſi nilus non aſcendit, in area ſolitos clamare: Chriſtianos ad leonem. Alibi de puella Chriſtiana, ad Lenonem. in lib. ad Scapul. Non ſint areæ. cap. 4. inquit. *Sed & clariſſimas fœminas, & clariſſimos viros Seuerus ſciens huius ſecta eſſe, non modò non læſit, verum & teſtimonio exornauit, & populo furenti in os palam reſtitit.* Iuſtinus martyr Apolog. 2. agit de vulgi maledicentia in Chriſtianos. in Apolog. narrat Creſcentem Philoſophum *ad gratiam & voluptatem decepti vulgi* ſolere garrire contra Chriſtianos. Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 1. *perſecutioni aduerſum nos populis per ciuitates vrgentibus augeſcente* cap. 2. ſcribunt ex Gallia Chriſtiani, *quæ à turba vniuerſa aceruatim inferebantur fortiter pertulerunt, inclamationes, plagas, tractus, direptiones, dilapidationes, clauſuras, & quæcunq; alia à multitudine efferata velut hoſtibus, & inimicis inferri ſolent.* Nonne populo clamante ad mortem

tem raptus eſt Seruator? legantur acta Apoſtolorum, vbi non pauca in eam rem.

Gentiles ſolitos impingere Christianis cauſas publicarum calamitatum. Cap. XV.

IDeò etiam erant inuiſi Chriſtiani Gentilibus, quia ipſis calamitatum publicarum cauſas imputabant. Cum enim viderent Deos contemni à diuina religione, dicebant Deos iratos humano generi clades immittere. In hanc rem proferre licet verba Tertulliani, Arnobij, & Cypriani. Tertulliani verba ſunt in Apolog. cap. 40. *Prætexunt Gentiles ad odij defenſionem illam quoque veritatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam.* apud Arnob. lib. 1. hæc leguntur. *Comperi nonnullos dicere poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum. ipſos etiam Cælites derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos.* Cyprianus contra Demetrianum. *Dixiſti per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia iſta, quibus nunc mundus quatitur, & vexatur. quod Dij veſtri à nobis non colantur.*

Qua ratione à Chriſtianis refutati fuerint Gentiles, impingentes Chriſtianis publicarum calamitatum cauſam. Cap. xvj.

CAlumniæ huiuſmodi variè occurrerunt Chriſtiani ſcriptores, qui defenſionem Religionis ſuſceperunt. Cyprianus dixit conſenuiſſe Mundum, vt mirandum nequaquam ſit, ſi non illis viribus ſtet, quibus prius ſteterat. hæc reſponſio exponenda eſt in opuſculo, quod de Senio mundi componere cogito. nõ enim admittent omnes Cypriano mundum conſenuiſſe; nam iam omnino perijſſet, cùm poſt S. Cypriani tempora mille tercenti, & plures excurrerint, lapſiq; fuerint anni. Ait deinde mala eiuſmodi euenire, quod verus Deus non colatur. Sed ante Chriſtum multo minus colebatur Deus. Tertullianus cum talibus cladibus conflictatum genus humanum, antequam eſſent Chriſtiani, reſpondet, lege cap. 40. Apolog. ſubijcit melius agi cum genere humano, ex quo cæperunt eſſe Chriſtiani, cum ipſi placent Deum. *Si priſtinas*, inquit, *clades comparemus, leuiora nunc accedunt, ex quo Chriſtianos à Deo orbis accepit. ex eo enim, & innocentia ſeculi iniquitates temperauit, & deprecatores Dei eſſe cæperunt*: non dubitatque pronunciare ideò mala immitti, quia Deus ſpernitur, ſtatuæ adorantur. Arnobius prolixè declamat; ait non eſſe inuectam labem terris, cum natura, totaq; orbis

ſuis conſtet legibus. Si verò memorentur res quędam noxiæ vt bella, contagio, & eiuſmodi, recentes profectò non ſunt, cum ipſa nomina antiqua ſatis indicent antiqua quoq; & olim vſitata eſſe mala. hæc ferè proferuntur ab illis ſcriptoribus, vt defendantur Chriſtiani.

Chriſtianos vndè dictos putarent Gentiles? Cap. xvij.

VNde dicti Chriſtiani? pertrita res eſt. ſunt verba Tertulliani in Apolog. cap. 3. *Chriſtianus, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur*. Sed Gentiles non lubenter ſic proferebant nomen; malebant enim dicere: Chreſtianus, cum difficile eſſet apud ipſos cogitare, ab vnctione impoſitum nomen. Hinc Iuſtinus in Apolog. 2. nomen Chriſtianorum non petit ab vnctione. ſed inquit alioquin *quo ad noſtrũ appellationem attinet ſumus* χρηστότατοι. *ideſt commodiſſimi*. non potuit tamen ignorare Iuſtinus dictos ab vnctione Chriſtianos, non aliundè, ſed ipſe ſecutus eſt opinionem Gentilium, qui eiuſmodi appellatione videbantur fauere Chriſtianis; quaſi diceret Iuſtinus, cur odiſtis nos ob nomen, cum vel fatentibus vobis ſic dicamur, quod χρηστότατοι ſimus? ſcribit græcè Iuſtinus, vt mirũ non ſit ſi Gentiles loquentes latinè, dicerent Chreſtiani. reſpexit Tertullianus in Apolog. cap. 3. *ſed & cum perperam Chreſtianus pronuntiatur à verbis de ſuauitate, vel benignitate impoſitum eſt*. hinc fortè factum eſt vt Suetonius de Chriſtianis dixerit,

rit Iudæos impulſore Chreſto, tumultuatos fuiſſe, hoc eſt eos, qui Chriſtum colebant. Sed nihil certi de opinione Suetonij iam pronuncio.

Videri antiquos Chriſtianos multas lites inter ſe diremiſſe, Cap. xviij.

OB illa, quæ ſcribuntur à S. Paulo 1. Cor. 6. vbi iubet ne fideles litigent coram infidelibus puto inualuiſſe morem, vt Epiſcopus velut arbiter electus componeret, & dirimeret multas controuerſias ortas inter fideles. Cum igitur veriſimile ſit, Conſtantinum deprehendiſſe in Eccleſia hunc morem, tulit legem, & conſtitutione ſanxit, ne prouocatio daretur ab eiuſmodi ſententia. Nam ante Conſtantinum potuiſſet fidelis ad Iudicem infidelem confugere, etiam ſi Epiſcopus iam tuliſſet ſententiam. videndus igitur eſt titulus in C. de audientia Epiſcopali. Iuriſconſulti porrò de tali audientia ante Conſtantinum nihil protulerunt, cum ne quidem noſſent ſolere Chriſtianos inter ſe hoc modo dirimere controuerſias. Par autem fuit, vt Conſtantinus ſic ſanciret, cum ſuo tempore Iudices ferè adhuc Gentiles eſſent. ne igitur cogerentur Chriſtiani adire talia tribunalia, legem tulit. animaduertendum autem S. Paulum videri tantum de Ciuili negotio locutũ. nam crimina plectebantur ab eo, qui poteſtatem habebat gladij. adde id, quod ſanciuit poſt Conſtantinum Honorius de audientia Epiſcopali, etiam tributum

Iudæis C. de Iu
ſtantini non ext
reperire in Th

Cur Chriſti
cu

DIfficil
cum
in eiuſmod
putarent c
quauis abſ
nam capit
ib. de C
ite noſſe
ſeruant à
negatore
nis mili
ba de
ſtianus
vitam
ta. c

cauſa Præſides in vniuerſum ſæuiant Chriſtia-
n cœtum. Apoſtolos porrò, & Apoſtolicos vi-
uſquam legimus idola fregiſſe. videntur igitur an-
Chriſtiani ab eiuſmodi opere abſtinuiſſe. ſi dicas,
a omnia fuiſſe euerſa, atq; adeò licuiſſe ſemper
iſtianis ea frangere, reſpondebo euerſa fuiſſe aucto
e Cæſarum Chriſtianorum. ſed ante Conſtantinum
iſtiani imperio deſtituebantur.

ſdam Chriſtianos fuiſſe Fabricatores Idolorum, non cultores. Cap. XXIJ.

Rant inter Chriſtianos, qui Idola, & ſtatuas Deorum conſtruebant, vt inde vitam tolerarent. eximabant enim partes Chriſtiani hominis impleri ab, qui licet faceret Idola, non tamen idola colèbat. uid namq; eſt idololatria, niſi cultus idolorum? At nō em eſt idolum facere, & idolum colere. viderit qui lit, dum non colat, qui facit. *Facio* (ait quidam Chriſtianus apud Tertull. de Idol. cap. 6.) *ſed non colo. imò*, quit Tertull. *tu colis, qui facis vt coli poſſint. illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis*. poſſet ille reſpondere, fas eſſe facere ſtatuas, quæ ponuntur clariſſimis viris virtutis cauſa, tamen non coluntur, vt Dij. An eiuſmodi immogenium? Nequaquam id dici poteſt. Nec neTertullianus, fas eſſe tales facere ſtatuas, cum ipriſtiani Imperatores conſueuerint præmia virtu-

qua de re videnda ſunt, quæ traduntur à Iuriſconſultis ff. de fænore nautico. puto perfectionis Chriſtianæ ſtudioſos omninò abſtinuiſſe ab vſuris, cum Chriſtus dixerit: mutuũ date, nihil inde ſperantes. Alios exiſtimo ſe geſſiſſe ſecundum leges Romanas. nam & temporibus Chriſtianorum Imperatorum exigebantur paſſim vſuræ, vt diſcere eſt ex innumeris, quæ de ijs ſanciuntur in Pandectis, & in Codice, præſertim ſub duobus titulis ſimilibus de vſuris.

Chriſtianos non conſueuiſſe frangere, & deſtruere Idola. Cap. xxj.

ET ſi Chriſtiani deteſtarentur idola, fas tamen eis non erat ea deſtruere, & frangere. ſic enim colendus erat Deus, ne tamen inconſulto ſtudio ea fierent, ob quæ procella crudelitatis tranquillitatem Chriſtianorum cætuum turbaret. hoc verè à me pronunciari docet Canon 60. Concil. Elib. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Euangelio ſcriptum non eſt, neq; inuenitur ſub Apoſtolis vnquam factum, placuit in numero, eum non recipi martyrum.* An ita ſenſerint omnes Antiſtites Eccleſiarum, ego quidem neſcio. videntur verò innuere Patres eum, qui non ibi fuerit occiſus, vbi idolum fregit, ſed poſtea fuerit captus, & morti addictus, poſſe inter Martyres coli. cur enim addiderunt illud: *& ibidem fuerit occiſus.* videntur etiam indicare placere ſibi, ſi frangantur idola, modo id fiat clam, ne

idoli cauſa Præſides in vniuerſum ſæuiant Chriſtianorum cœtum. Apoſtolos porrò, & Apoſtolicos viros nuſquam legimus idola fregiſſe. videntur igitur antiqui Chriſtiani ab eiuſmodi opere abſtinuiſſe. ſi dicas, poſtea omnia fuiſſe euerſa, atq; adeò licuiſſe ſemper Chriſtianis ea frangere, reſpondebo euerſa fuiſſe auctoritate Cæſarum Chriſtianorum. ſed ante Conſtantinum Chriſtiani imperio deſtituebantur.

Quoſdam Chriſtianos fuiſſe Fabricatores Idolorum, non cultores. Cap. XXIj.

ERant inter Chriſtianos, qui Idola, & ſtatuas Deorum conſtruebant, vt inde vitam tolerarent. exiſtimabant enim partes Chriſtiani hominis impleri ab eo, qui licet faceret Idola, non tamen idola colèbat. Quid namq; eſt idololatria, niſi cultus idolorum? At nō idem eſt idolum facere, & idolum colere. viderit qui colit, dum non colat, qui facit. *Facio* (ait quidam Chriſtianus apud Tertull. de Idol. cap. 6.) *ſed non colo. imò,* inquit Tertull. *tu colis, qui facis vt coli poſſint. illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* poſſet ille reſpondere, fas eſſe facere ſtatuas, quæ ponuntur clariſſimis viris virtutis cauſa, quæ tamen non coluntur, vt Dij. An eiuſmodi immolatur ingenium? Nequaquam id dici poteſt. Nec negaſſet Tertullianus, fas eſſe tales facere ſtatuas, cum ipſi Chriſtiani Imperatores conſueuerint præmia virtu-

tum tribuere merentibus; erectis ſtatuis, vt eſt videre C. de ſtat. & imag. l. 4. Certè artifices talium operum tunc nō peccabant. ſed tamen videbantur peccare, qui ſtatuas faciebant, quas norant excipiendas diuino cultu à Gentilibus.

Chriſtianos auerſatos fuiſſe libros Gentilium. Cap. xxiij.

Libros Gentilium auerſati ſunt priſci Chriſtiani. quid mirum? Sacram ſcripturam tantum habebant notā. In Eccleſia ſola legebatur, & exponebatur. vide Epiſtolas S. Ignatij, & aliorum, nihil præter S. Scripturam reperies. ſed prodeat S. Clemens in Conſtit. lib. 1. cap. xij. *Abſtinete ab omnibus Gentilium libris. Quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis Prophetis? quę quidem leues à fide abducunt. nam quid tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges, ſi ſophiſtica, & poetica, habes Prophetas, & Iob, & Prouerbiorum auctorem, ſi cantilenas cupis, habes Pſalmos, ſi rerum origines deſideras noſſe, habes Geneſim, ſi leges, & præcepta, habes glorioſam Dei legem.* Res ipſa clamat abſtinuiſſe Chriſtianos à libris Gentilium. nam quem Iuriſconſultum, Poetam, Hiſtoricum, Oratorem, Philoſophum, Medicum illorum temporum nominare licet, qui fuerit Chriſtianus? Iuriſconſultus fuit Tertull. ſed cum eſſet Gentilis. nam factus Chriſtianus, de quauis re po-

tius

tilis quam de Iure Ciuili Romanorum egit. contra Marcionem extant libri carmine comprehenſi à Chriſtiano. ſed quales, quæſo, ſunt verſus prorſus inepti? inter hiſtoricos nullus apparet. nam Africanus non hiſtoriam ſcripſit, ſed ſeriem temporum paucis verbis eſt amplexus. Iuſtinus non didicit philoſophiam apud Chriſtianos, ſed quam adeptus fuerat apud Platonicos, vt vanam, futilem, incertam reiecit ad Chriſtianos poſtquam eſt tranſgreſſus. de Origene alibi ſum locutus. Certè totus fuit in exponenda S. Scriptura, vt opera ipſius clamant. Rhetor fuit S. Cyprianus cum nondùm eſſet Chriſtianus, poſtea non coloribus oratorijs indulſit, ſed ex S. litteris deprompſit pleraq; omnia, quæ exarauit. Magna rerum cognitione, magnaq; eruditione fuit prædirus Tertullianus, quam tamen non videtur paráſſe poſt tranſitum ſuum ad Chriſtianos. nã Presbyter nonniſi de rebus eccleſiaſticis ſcripſit, ſemper ferè vſus teſtimonio Prophetarum, & Apoſtolorũ. quod ſi demus paucos aliquos legiſſe libros Gentilium, aut peccárunt ea in re, aut eis ſunt vſi, vt faciliùs confutarent errorem Gentium. promiſcuè ſanè inter Chriſtianos ſolis libris S. Scripturæ erat locus, aut nonnullis dictatis, pro defenſione Religionis Catholicæ contra Gentiles, aut Hæreticos compoſitis. in ſcholis enim Chriſtianorum (ſi quæ tamen erant ante tempora Conſtantini) tantum elementa Chriſtianæ Religionis tradebantur. non Poeta, non Philoſophus, non Rhetor, non hiſtoricus, non Orator, non lex Romana exponebatur.

Si ante Cōſtantinum Chriſtiani ſpernebant leges Romanas, cur poſtea eas in ſcholis fuerint interpretati? Cap. XXIV.

SI Chriſtiani ante Conſtantinum auerſati ſunt ius ciuile Romanorum, neq; eius cognitioni putarunt eſſe incumbendum, cur Chriſtiani Imperatores, & præſertim Iuſtinianus leges Romanas, totamq; iuris prudentiam tanti fecerunt, vt publicè Romę Conſtantinopoli, Alexandriæ, Berythi voluerint exponi, & ſtudioſæ tradi iuuentuti? cur non contenti fuerunt lege Dei, præceptiſq; Euangelicis? cum præſertim tandem Italia planè reiecerit ius Ciuile Romanorum, donec tandem iuſſu Lotharij reditum eſt ad veterem iuriſprudentiam. Viciſſitudinem multiplicem fas eſt accuſare leuitatis; ſed reſpondere poſſumus Chriſtianos ante tempora Conſtantini, quia non imperabant, ſed parebant, fuiſſe contentos lege Dei. At poſtquam ipſi imperatores Chriſtianam ſunt amplexi religionem; res ipſa cæpit clamare, excolendum eſſe ius Romanum, niſi vellent omnia ſurſum, deorſum verti. Neque enim potuiſſent tolli mores antiquiſſimi, qui totum occupabant orbem, & legibus fulciebantur Romanis. Intellexerunt itaq; iuriſprudentiam Romanam nō ſolum non incommodare religioni Chriſtianæ, ſed vtiliſſimam eſſe Reipublicæ, totiuſq; imperij maieſtati. vides quale arca-

num fuerit euulgatum, quando Conſtantinus tranſiuit ad Chriſtianam pietatem. Didicerunt nempe mortales, Religionem Chriſtianam, & ius Ciuile Romanorum inter ſe non pugnare.

Habuiſſe Chriſtianos ædes ſacras, & oratoria. Cap. XXV.

HAbuiſſe Chriſtianos Dominica, Ædes ſacras, & oratoria dubitare non poſſumus. En tibi veterum teſtimonia. Euſeb. lib. 8 hiſt. Eccleſ. cap. 2. *Oratoria à culmine ad pauimentum vſq; vna cum ipſis fundamentis deijci vidimus.* Si deſtructa ſunt, prius conſtructa fuiſſe neceſſe eſt. idem lib. 10. cap. 2 *Videntes ea loca, quæ paulo ante Tyrannorum fuerant impietatibus deſtructa exſuſcitari, ac templa rurſus ex fundamentis erigi.* Can. xxj Concil. Elib. *Siquis in ciuitate poſitus tres dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit.* Idem Can. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.* Metaphraſtes in octobri agens de S. Cypriano. Ingrediens igitur ἐις κυριακὸν, *In dominicum.* Synod. Laod. can. 28. *Non decere facere agapas in dominicis, aut Eccleſijs.* S. Clemens in Conſtit. Apoſt. cap. 62. *Conueniatis quotidie mane, & veſpere, pſallentes, & orantes in dominicis.* Plura proferre, puto eſſe ſuperuacaneum. vix autem crediderim paſſim magna mole conſtructa fuiſſe à Chriſtianis templa, cum ipſis ne quidem conuenire liceret abſq; magno periculo. videntur

S

tem raptus eſt Seruator? legantur acta Apoſtolorum, vbi non pauca in eam rem.

Gentiles ſolitos impingere Chriſtianis cauſas publicarum calamitatum. Cap. XV.

IDeò etiam erant inuiſi Chriſtiani Gentilibus, quia ipſis calamitatum publicarum cauſas imputabant. Cum enim viderent Deos contemni à diuina religione, dicebant Deos iratos humano generi clades immittere. In hanc rem proferre licet verba Tertulliani, Arnobij, & Cypriani. Tertulliani verba ſunt in Apolog. cap. 40. *Prætexunt Gentiles ad odij defenſionem illam quoq; veritatem, quod exiſtiment omnis publicę cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam.* apud Arnob. lib. 1. hæc leguntur. *Comperi nonnullos dicere poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cępit, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum. ipſos etiam Cælites derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos.* Cyprianus contra Demetrianum. *Dixiſti per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia iſta, quibus nunc mundus quatitur, & vexatur. quod Dij veſtri à nobis non colantur.*

Qua ratione à Chriſtianis refutati fuerint Gentiles, impingentes Chriſtianis publicarum calamitatum cauſam. Cap. xvj.

CAlumniæ huiuſmodi variè occurrerunt Chriſtiani ſcriptores, qui defenſionem Religionis ſuſceperunt. Cyprianus dixit conſenuiſſe Mundum, vt mirandum nequaquam ſit, ſi non illis viribus ſtet, quibus prius ſteterat. hæc reſponſio exponenda eſt in opuſculo, quod de Senio mundi componere cogito. nō enim admittent omnes Cypriano mundum conſenuiſſe; nam iam omnino perijſſet, cùm poſt S. Cypriani tempora mille tercenti, & plures excurrerint, lapſiq; fuerint anni. Ait deinde mala eiuſmodi euenire, quod verus Deus non colatur. Sed ante Chriſtum multo minus colebatur Deus. Tertullianus cum talibus cladibus conflictatum genus humanum, antequam eſſent Chriſtiani, reſpondet. lege cap. 40. Apolog. ſubijcit melius agi cum genere humano, ex quo cæperunt eſſe Chriſtiani, cum ipſi placent Deum. *Si priſtinas, inquit, clades comparemus, leuiora nunc accedunt, ex quo Chriſtianos à Deo orbis accepit. ex eo enim, & innocentia ſeculi iniquitates temperauit, & deprecatores Dei eſſe cæperunt*; non dubitatque pronunciare ideò mala immitti, quia Deus ſpernitur, ſtatuæ adorantur. Arnobius prolixè declamat, ait non eſſe inuectum labem terris, cum natura, totuſq; orbis d

ſuis conſtet legibus. Si verò memorentur res quędam noxiæ vt bella, contagio, & eiuſmodi, recentes profectò non ſunt, cum ipſa nomina antiqua ſatis indicent antiqua quoq; & olim vſitata eſſe mala. hæc ferè proferuntur ab illis ſcriptoribus, vt defendantur Chriſtiani.

Chriſtianos vndè dictos putarent Gentiles? Cap. xvij.

VNde dicti Chriſtiani? pertrita res eſt. ſunt verba Tertulliani in Apolog. cap. 3. *Chriſtianus, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur*. Sed Gentiles non lubenter ſic proferebant nomen; malebant enim dicere: Chreſtianus, cum difficile eſſet apud ipſos cogitare, ab vnctione impoſitum nomen. Hinc Iuſtinus in Apolog. 2. nomen Chriſtianorum non petit ab vnctione. ſed inquit alioquin *quo ad noſtrũ appellationem attinet ſumus* χρηστότατοι *id eſt commodiſſimi*. non potuit tamen ignorare Iuſtinus dictos ab vnctione Chriſtianos, non aliundè, ſed ipſe ſecutus eſt opinionem Gentilium, qui eiuſmodi appellatione videbantur fauere Chriſtianis; quaſi diceret Iuſtinus, cur odiſtis nos ob nomen, cum vel fatentibus vobis ſic dicamur, quod χρηστότατοι ſimus? ſcribit græcè Iuſtinus, vt mirũ non ſit ſi Gentiles loquentes latinè, dicerent Chreſtiani. reſpexit Tertullianus in Apolog. cap. 3. *ſed & cum perperam Chreſtianus pronuntiatur à vobis de ſuauitate, vel benignitate impoſitum eſt*. hinc fortè factum eſt vt Suetonius de Chriſtianis dixe-

rit Iudæos impulſore Chreſto, tumultuatos fuiſſe, hoc eſt eos, qui Chriſtum colebant. Sed nihil certi de opinione Suetonij iam pronuncio.

Videri antiquos Chriſtianos multas lites inter ſe diremiſſe, Cap. xviij.

OB illa, quæ ſcribuntur à S. Paulo 1. Cor. 6. vbi iubet ne fideles litigent coram infidelibus puto inualuiſſe morem, vt Epiſcopus velut arbiter electus componeret, & dirimeret multas controuerſias ortas inter fideles. Cum igitur veriſimile ſit, Conſtantinum deprehendiſſe in Eccleſia hunc morem, tulit legem, & conſtitutione ſanxit, ne prouocatio daretur ab eiuſmodi ſententia. Nam ante Conſtantinum potuiſſet fidelis ad Iudicem infidelem confugere, etiam ſi Epiſcopus iam tuliſſet ſententiam. videndus igitur eſt titulus in C. de audientia Epiſcopali. Iuriſconſulti porrò de tali audientia ante Conſtantinum nihil protulerunt, cum nequidem noſſent ſolere Chriſtianos inter ſe hoc modo dirimere controuerſias. Par autem fuit, vt Conſtantinus ſic ſanciret, cum ſuo tempore Iudices ferè adhuc Gentiles eſſent. ne igitur cogerentur Chriſtiani adire talia tribunalia, legem tulit. animaduertendum autem S. Paulum videri tantum de Ciuili negotio locutū. nam crimina plectebantur ab eo, qui poteſtatem habebat gladij. adde id, quod ſanciuit poſt Conſtantinum Honorius de audientia Epiſcopali, etiam tributum

Iudæis C. de Iud. l. Iudæi 8. Etſi vero Conſtitutio Conſtantini non extet in Codice Iuſtinianeo, eſt tamen eam reperire in Theodoſiano.

Cur Chriſtiani non videantur iniuiſſe conuiuia cum Gentilibus? Cap xix.

Difficile erat Chriſtianis, ſi nollent detegi, inire cum alijs, Gentilibus ſcilicet, conuiuia; nam in eiuſmodi lætitia frequenter coronabant capita, cum putarent coronas ebrietatem morari. Chriſtiani verò à quauis abſtinebant corona. Nunquam, inquam, coronam capiti imponebant ſuo. id nos docet Tertullianus lib. de Corona cap. 2. *Neminem dico fidelium coronam capite noſſe alias extra tēpus tentationis eiuſmodi. omnes ita obſeruant à catechumeno vſq; ad confeſſores, & martyres, vel negatores.* Vt oſtenderet nequaquam licere Chriſtianis militibus laurum capiti imponere, profert hæc verba de more Chriſtianorum. nam ſi nullus plane Chriſtianus vllam gerebat coronam, etiam extra militarem vitam, fas non erat ipſis militibus habere laureata capita. exiſtimandum igitur Chriſtianos abſtinuiſſe à conuiuijs, cum præſertim frequenter inirent cænulas, quas à charitate nominabant, à quibus aberat commeſſatio, aberat ebrietas, vt non opus eſſet corollas plectere, ijſq; caput redimire.

Qua ratione ſe gererent Chriſtiani imminente naufragio? num ipſi fœnus nauticum exercerent. Cap XX.

NAuigaſſe Chriſtianos, & nauigare ſolitos dubitare non poſſumus, dum legimus Tertulliani Apologeticum. inquit enim cap. 42. *Nauigamus, & nos vobiſcum.* Vbi quærere eſt, qua ratione ſe gererent, ſi periculo imminente naufragij vota dijs tollerent nautę cum reliquis, qui erant in naui? num & ipſi ſe obſtringebant littoralibus numinibus? auerſabatur procul dubio ipſorum pietas talia religionis, vel potius ſuperſtitionis ſpecimina. tantum abeſt, vt erepti in portu ſuſpenderent Deo maris veſtimenta more Gentilium. puto in eiuſmodi deprehenſos diſcrimine precatos Deum Cæli, eiq; ſuam cæterorumq; commendaſſe ſalutem. Cum vero non in eadem cum reliquis irent verba, dijſq; ſe commendarent, ſuam prodebant religionem, oſtendebantq; ſe ex eorum eſſe genere, qui ſpernerent deos. hinc in portum vbi perueniſſent quandoq; detrudebantur in carcerem, niſi fuga ſibi conſulerent. ſed non ſemper ſæuiebant in ipſos edicta.

Quæſiuerim quoq; num Chriſtiani, nauticę qui dabant operam, fænus exercerent nauticum? Nam ſatis conſtat eos, qui mutuam darent pecuniam mari committendam abſque modo potuiſſe exigere vſuras, vt non cogerentur limites centeſimæ vſuræ obſeruare,

qua de re videnda ſunt, quæ traduntur à Iuriſconſultis ff. de fænore nautico. puto perfectionis Chriſtianæ ſtudioſos omninò abſtinuiſſe ab vſuris, cum Chriſtus dixerit: mutuũ date, nihil inde ſperantes. Alios exiſtimo ſe geſſiſſe ſecundum leges Romanas. nam & temporibus Chriſtianorum Imperatorum exigebantur paſſim vſuræ, vt diſcere eſt ex innumeris, quæ de ijs ſanciuntur in Pandectis, & in Codice, præſertim ſub duobus titulis ſimilibus de vſuris.

Chriſtianos non conſueuiſſe frangere, & deſtruere Idola. Cap. xxj.

ET ſi Chriſtiani deteſtarentur idola, fas tamen eis non erat ea deſtruere, & frangere. ſic enim colendus erat Deus, ne tamen inconſulto ſtudio ea fierent, ob quæ procella crudelitatis tranquillitatem Chriſtianorum cætuum turbaret. hoc verè à me pronunciari docet Canon 60. Concil. Elib. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Euangelio ſcriptum non eſt, neq, inuenitur ſub Apoſtolis vnquam factum, placuit in numero, eum non recipi martyrum.* An ita ſenſerint omnes Antiſtites Eccleſiarum, ego quidem neſcio. videntur verò innuere Patres eum, qui non ibi fuerit occiſus, vbi idolum fregit, ſed poſtea fuerit captus, & morti addictus, poſſe inter Martyres coli. cur enim addiderunt illud: *& ibidem fuerit occiſus*. videntur etiam indicare placere ſibi, ſi frangantur idola, modo id fiat clam, ne

fracti

idoli cauſa Præſides in vniuerſum ſæuiant Chriſtianorum cœtum. Apoſtolos porrò, & Apoſtolicos viros nuſquam legimus idola fregiſſe. videntur igitur antiqui Chriſtiani ab eiuſmodi opere abſtinuiſſe. ſi dicas, poſtea omnia fuiſſe euerſa, atq; adeò licuiſſe ſemper Chriſtianis ea frangere, reſpondebo euerſa fuiſſe auctoritate Cæſarum Chriſtianorum. ſed ante Conſtantinum Chriſtiani imperio deſtituebantur.

Quoſdam Chriſtianos fuiſſe Fabricatores Idolorum, non cultores. Cap. XXIJ.

ERant inter Chriſtianos, qui Idola, & ſtatuas Deorum conſtruebant, vt inde vitam tolerarent. exiſtimabant enim partes Chriſtiani hominis impleri ab eo, qui licet faceret Idola, non tamen idola colèbat. Quid namq; eſt idololatria, niſi cultus idolorum? At nō idem eſt idolum facere, & idolum colere. viderit qui colit, dum non colat, qui facit. *Facio* (ait quidam Chriſtianus apud Tertull. de Idol. cap. 6.) *ſed non colo. imò,* inquit Tertull. *tu colis, qui facis vt coli poſſint. illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* poſſet ille reſpondere, fas eſſe facere ſtatuas, quæ ponuntur clariſſimis viris virtutis cauſa, quæ tamen non coluntur, vt Dij. An eiuſmodi immolatur ingenium? Nequaquam id dici poteſt. Nec negaſſet Tertullianus, fas eſſe tales facere ſtatuas, cum ipſi Chriſtiani Imperatores conſueuerint præmia virtu-

tum

tum tribuere merentibus; erectis ſtatuis, vt eſt videre C. de ſtat. & imag. l. 4. Certè artifices talium operum tunc nō peccabant. ſed tamen videbantur peccare, qui ſtatuas faciebant, quas norant excipiendas diuino cultu à Gentilibus.

Chriſtianos auerſatos fuiſſe libros Gentilium. Cap. xxiij.

Libros Gentilium auerſati ſunt priſci Chriſtiani. quid mirum? Sacram ſcripturam tantum habebant notã. In Eccleſia ſola legebatur, & exponebatur. vide Epiſtolas S. Ignatij, & aliorum, nihil præter S. Scripturam reperies. ſed prodeat S. Clemens in Conſtit. lib. 1. cap. xij. *Abſtinete ab omnibus Gentilium libris. Quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis Prophetis? quę quidem leues à fide abducunt. nam quid tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges, ſi ſophiſtica, & poetica, habes Prophetas, & Iob, & Prouerbiorum auctorem, ſi cantilenas cupis, habes Pſalmos, ſi rerum origines deſideras noſſe, habes Geneſim, ſi leges, & præcepta, habes glorioſam Dei legem.* Res ipſa clamat abſtinuiſſe Chriſtianos à libris Gentilium. nam quem Iuriſconſultum, Poetam, Hiſtoricum, Oratorem, Philoſophum, Medicum illorum temporum nominare licet, qui fuerit Chriſtianus? Iuriſconſultus fuit Tertull. ſed cum eſſet Gentilis. nam factus Chriſtianus, de quauis re potius

tis quam de Iure Ciuili Romanorum egit. contra Marcionem extant libri carmine comprehenſi à Chriſtiano. ſed quales, quæſo, ſunt verſus prorſus inepti: inter hiſtoricos nullus apparet. nam Africanus non hiſtoriam ſcripſit, ſed ſeriem temporum paucis verbis eſt amplexus. Iuſtinus non didicit philoſophiam apud Chriſtianos, ſed quam adeptus fuerat apud Platonicos, vt vanam, futilem, incertam reiecit ad Chriſtianos poſtquam eſt tranſgreſſus. de Origene alibi ſum locutus. Certè totus fuit in exponenda S. Scriptura, vt opera ipſius clamant. Rhetor fuit S. Cyprianus cum nondum eſſet Chriſtianus, poſtea non coloribus oratorijs indulſit, ſed ex S. litteris deprompſit pleraq; omnia, quæ exarauit. Magna rerum cognitione, magnaq; eruditione fuit prӕditus Tertullianus, quam tamen non videtur paráſſe poſt tranſitum ſuum ad Chriſtianos. nã Presbyter nonniſi de rebus eccleſiaſticis ſcripſit, ſemper ferè vſus teſtimonio Prophetarum, & Apoſtolorũ. quod ſi demus paucos aliquos legiſſe libros Gentilium, aut peccârunt ea in re, aut eis ſunt vſi, vt faciliùs confutarent errorem Gentium. promiſcuè ſanè inter Chriſtianos ſolis libris S. Scripturæ erat locus, aut nonnullis dictatis, pro defenſione Religionis Catholicæ contra Gentiles, aut Hæreticos compoſitis. in ſcholis enim Chriſtianorum (ſi quæ tamen erant ante tempora Conſtantini) tantum elementa Chriſtianæ Religionis tradebantur. non Poeta, non Philoſophus, non Rhetor, non hiſtoricus, non Orator, non lex Romana exponebatur.

Si ante Cōſtantinum Chriſtiani ſpernebant leges Romanas, cur poſtea eas in ſcholis fuerint interpretati? Cap. XXIV.

SI Chriſtiani ante Conſtantinum auerſati ſunt ius ciuile Romanorum, neq; eius cognitioni putarunt eſſe incumbendum, cur Chriſtiani Imperatores, & præſertim Iuſtinianus leges Romanas, totamq; iuris prudentiam tanti fecerunt, vt publicè Romę Conſtantinopoli, Alexandriæ, Berythi voluerint exponi, & ſtudioſæ tradi iuuentuti? cur non contenti fuerunt lege Dei, præceptiſq; Euangelicis? cum præſertim tandem Italia planè reiecerit ius Ciuile Romanorum, donec tandem iuſſu Lotharij reditum eſt ad veterem iurisprudentiam. Viciſſitudinem multiplicem fas eſt accuſare leuitatis; ſed reſpondere poſſumus Chriſtianos ante tempora Conſtantini, quia non imperabant, ſed parebant, fuiſſe contentos lege Dei. At poſtquam ipſi imperatores Chriſtianam ſunt amplexi religionem; res ipſa cæpit clamare, excolendum eſſe ius Romanum, niſi vellent omnia ſurſum, deorſum verti. Neque enim potuiſſent tolli mores antiquiſſimi, qui totum occupabant orbem, & legibus fulciebantur Romanis. Intellexerunt itaq; iuriſprudentiam Romanam nō ſolum non incommodare religioni Chriſtianæ, ſed vtiliſſimam eſſe Reipublicæ, totiuſq; imperij maieſtati. vides quale arca-

num

num fuerit euulgatum, quando Conſtantinus tranſiuit ad Chriſtianam pietatem. Didicerunt nempe mortales, Religionem Chriſtianam, & ius Ciuile Romanorum inter ſe non pugnare.

Habuiſſe Chriſtianos ædes ſacras, & oratoria. Cap. XXV.

HAbuiſſe Chriſtianos Dominica, Ædes ſacras, & oratoria dubitare non poſſumus. En tibi veterum teſtimonia. Euſeb. lib. 8 hiſt. Eccleſ. cap. 2. *Oratoria à culmine ad pauimentum vſq; vna cum ipſis fundamentis deiici vidimus.* Si deſtructa ſunt, prius conſtructa fuiſſe neceſſe eſt. idem lib. 10. cap. 2 *Videntes ea loca, quæ paulo ante Tyrannorum fuerant impietatibus deſtructa exſuſcitari, ac templa rurſus ex fundamentis erigi.* Can. XXI Concil. Elib. *Siquis in ciuitate poſitus tres dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit.* Idem Can. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.* Metaphraſtes in octobri agens de S. Cypriano. Ingrediens igitur εἰς κυριακὸν, *In dominicum.* Synod. Laod. can. 28. *Non decere facere agapas in dominicis, aut Eccleſijs.* S. Clemens in Conſtit. Apoſt. cap. 62. *Conueniatis quotidie mane, & veſpere, pſallentes, & orantes in dominicis.* Plura proferre, puto eſſe ſuperuacaneum. vix autem crediderim paſſim magna mole conſtructa fuiſſe à Chriſtianis templa, cum ipſis ne quidem conuenire liceret abſq; magno periculo. vi-

ſuis conſtet legibus. Si verò memorentur res quędam noxiæ vt bella, contagio, & eiuſmodi, recentes profe-ctò non ſunt, cum ipſa nomina antiqua ſatis indicent antiqua quoq; & olim vſitata eſſe mala. hæc ferè proferuntur ab illis ſcriptoribus, vt defendantur Chriſtiani.

Chriſtianos vndè dictos putarent Gentiles? Cap. xvij.

VNde dicti Chriſtiani? pertrita res eſt. ſunt verba Tertulliani in Apolog. cap. 3. *Chriſtianus, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur*. Sed Gentiles non lubenter ſic proferebant nomen; malebant enim dicere: Chreſtianus, cum difficile eſſet apud ipſos cogitare, ab vnctione impoſitum nomen. Hinc Iuſtinus in Apolog. 2. nomen Chriſtianorum non petit ab vnctione. ſed inquit alioquin *quo ad noſtrā appellationem attinet ſumus* χρηςότατοι. *ideſt commodiſſimi*. non potuit tamen ignorare Iuſtinus dictos ab vnctione Chriſtianos, non aliundè, ſed ipſe ſecutus eſt opinionem Gentilium, qui eiuſmodi appellatione videbantur fauere Chriſtianis; quaſi diceret Iuſtinus, cur odiſtis nos ob nomen, cum vel fatentibus vobis ſic dicamur, quod χρηςότατοι ſimus? ſcribit græcè Iuſtinus, vt mirũ non ſit ſi Gentiles loquentes latinè, dicerent Chreſtiani. reſpexit Tertullianus in Apolog. cap. 3. *ſed & cum perperam Chreſtianus pronuntiatur à verbis de ſuauitate, vel benignitate impoſitum eſt*. hinc fortè factum eſt vt Suetonius de Chriſtianis dixe-

rit Iudæos impulſore Chreſto, tumultuatos fuiſſe, hoc eſt eos, qui Chriſtum colebant. Sed nihil certi de opinione Suetonij iam pronuncio.

Videri antiquos Chriſtianos multas lites inter ſe diremiſſe, Cap. xvijj.

OB illa, quæ ſcribuntur à S. Paulo 1. Cor. 6. vbi iubet ne fideles litigent coram infidelibus puto inualuiſſe morem, vt Epiſcopus velut arbiter electus componeret, & dirimeret multas controuerſias ortas inter fideles. Cum igitur veriſimile ſit, Conſtantinum deprehendiſſe in Eccleſia hunc morem, tulit legem, & conſtitutione ſanxit, ne prouocatio daretur ab eiuſmodi ſententia. Nam ante Conſtantinum potuiſſet fidelis ad Iudicem infidelem confugere, etiam ſi Epiſcopus iam tuliſſet ſententiam. videndus igitur eſt titulus in C. de audientia Epiſcopali. Iuriſconſulti porrò de tali audientia ante Conſtantinum nihil protulerunt, cum ne quidem noſſent ſolere Chriſtianos inter ſe hoc modo dirimere controuerſias. Par autem fuit, vt Conſtantinus ſic ſanciret, cum ſuo tempore Iudices ferè adhuc Gentiles eſſent. ne igitur cogerentur Chriſtiani adire talia tribunalia, legem tulit. animaduertendum autem S. Paulum videri tantum de Ciuili negotio locutũ. nam crimina plectebantur ab eo, qui poteſtatem habebat gladij. adde id, quod ſanciuit poſt Conſtantinum Honorius de audientia Epiſcopali, etiam tributum

Iudæis C. de Iud. l. Iudæi 8. Etſi vero Conſtitutio Conſtantini non extet in Codice Iuſtinianeo, eſt tamen eam reperire in Theodoſiano.

Cur Chriſtiani non videantur iniuiſſe conuiuia cum Gentilibus? Cap xix.

DIfficile erat Chriſtianis, ſi nollent detegi, inire cum alijs, Gentilibus ſcilicet, conuiuia; nam in eiuſmodi lætitia frequenter coronabant capita, cum putarent coronas ebrietatem morari. Chriſtiani verò à quauis abſtinebant corona. Nunquam, inquam, coronam capiti imponebant ſuo. id nos docet Tertullianus lib. de Corona cap. 2. *Neminem dico fidelium coronam capite noſſe alias extra tẽpus tentationis eiuſmodi. omnes ita obſeruant à catechumeno vſq; ad confeſſores, & martyres, vel negatores.* Vt oſtenderet nequaquam licere Chriſtianis militibus laurum capiti imponere, profert hæc verba de more Chriſtianorum. nam ſi nullus plane Chriſtianus vllam gerebat coronam, etiam extra militarem vitam, fas non erat ipſis militibus habere laureata capita. exiſtimandum igitur Chriſtianos abſtinuiſſe à conuiuijs, cum præſertim frequenter inirent cænulas, quas à charitate nominabant, à quibus aberat commeſſatio, aberat ebrietas, vt non opus eſſet corollas plectere, ijſq; caput redimire.

Qua ratione ſe gererent Chriſtiani imminente naufragio? num ipſi fanus nauticum exercerent. Cap xx.

NAuigaſſe Chriſtianos, & nauigare ſolitos dubitare non poſſumus, dum legimus Tertulliani Apologeticum. inquit enim cap. 42. *Nauigamus, & nos vobiſcum*. Vbi quærere eſt, qua ratione ſe gererent, ſi periculo imminente naufragij vota dijs tollerent nautę cum reliquis, qui erant in naui? num & ipſi ſe obſtringebant littoralibus numinibus? auerſabatur procul dubio ipſorum pietas talia religionis, vel potius ſuperſtitionis ſpecimina. tantum abeſt, vt erepti in portu ſuſpenderent Deo maris veſtimenta more Gentilium. puto in eiuſmodi deprehenſos diſcrimine precatos Deum Cæli, eiq; ſuam cæterorumq; commendaſſe ſalutem. Cum vero non in eadem cum reliquis irent verba, dijſq; ſe commendarent, ſuam prodebant religionem, oſtendebantq; ſe ex eorum eſſe genere, qui ſpernerent deos. hinc in portum vbi perueniſſent quandoq; detrudebantur in carcerem, niſi fuga ſibi conſulerent. ſed non ſemper ſæuiebant in ipſos edicta.

Quæſiuerim quoq; num Chriſtiani, nauticę qui dabant operam, fænus exercerent nauticum? Nam ſatis conſtat eos, qui mutuam darent pecuniam mari committendam abſque modo potuiſſe exigere vſuras, vt non cogerentur limites centeſimæ vſuræ obſeruare,

qua de re videnda ſunt, quæ traduntur à Iuriſconſultis ff. de fænore nautico. puto perfectionis Chriſtianæ ſtudioſos omninò abſtinuiſſe ab vſuris, cum Chriſtus dixerit: mutuũ date, nihil inde ſperantes. Alios exiſtimo ſe geſſiſſe ſecundum leges Romanas. nam & temporibus Chriſtianorum Imperatorum exigebantur paſſim vſuræ, vt diſcere eſt ex innumeris, quæ de ijs ſanciuntur in Pandectis, & in Codice, præſertim ſub duobus titulis ſimilibus de vſuris.

Chriſtianos non conſueuiſſe frangere, & deſtruere Idola. Cap. xxj.

ET ſi Chriſtiani deteſtarentur idola, fas tamen eis non erat ea deſtruere, & frangere. ſic enim colendus erat Deus, ne tamen inconſulto ſtudio ea fierent, ob quæ procella crudelitatis tranquillitatem Chriſtianorum cætuum turbaret. hoc verè à me pronunciari docet Canon 60. Concil. Elib. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Euangelio ſcriptum non eſt, neq; inuenitur ſub Apoſtolis vnquam factum, placuit in numero, eum non recipi martyrum.* An ita ſenſerint omnes Antiſtites Eccleſiarum, ego quidem neſcio. videntur verò innuere Patres eum, qui non ibi fuerit occiſus, vbi idolum fregit, ſed poſtea fuerit captus, & morti addictus, poſſe inter Martyres coli. cur enim addiderunt illud: *& ibidem fuerit occiſus*: videntur etiam indicare placere ſibi, ſi frangantur idola, modo id fiat clam, ne

fracti

idoli cauſa Præſides in vniuerſum ſæuiant Chriſtianorum cœtum. Apoſtolos porrò, & Apoſtolicos viros nuſquam legimus idola fregiſſe. videntur igitur antiqui Chriſtiani ab eiuſmodi opere abſtinuiſſe. ſi dicas, poſtea omnia fuiſſe euerſa, atq; adeò licuiſſe ſemper Chriſtianis ea frangere, reſpondebo euerſa fuiſſe auctoritate Cæſarum Chriſtianorum. ſed ante Conſtantinum Chriſtiani imperio deſtituebantur.

Quoſdam Chriſtianos fuiſſe Fabricatores Idolorum, non cultores. Cap. XXIJ.

ERant inter Chriſtianos, qui Idola, & ſtatuas Deorum conſtruebant, vt inde vitam tolerarent. exiſtimabant enim partes Chriſtiani hominis impleri ab eo, qui licet faceret Idola, non tamen idola colèbat. Quid namq; eſt idololatria, niſi cultus idolorum? At nō idem eſt idolum facere, & idolum colere. viderit qui colit, dum non colat, qui facit. *Facio* (ait quidam Chriſtianus apud Tertull. de Idol. cap. 6.) *ſed non colo. imò,* inquit Tertull. *tu colis, qui facis vt coli poſſint. illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* poſſet ille reſpondere, fas eſſe facere ſtatuas, quæ ponuntur clariſſimis viris virtutis cauſa, quæ tamen non coluntur, vt Dij. An eiuſmodi immolatur ingenium? Nequaquam id dici poteſt. Nec negaſſet Tertullianus, fas eſſe tales facere ſtatuas, cum ipſi Chriſtiani Imperatores conſueuerint præmia virtu-

tum tribuere merentibus, erectis ſtatuis, vt eſt videre C. de ſtat. & imag. l. 4. Certè artifices talium operum tunc nõ peccabant. ſed tamen videbantur peccare, qui ſtatuas faciebant, quas norant excipiendas diuino cultu à Gentilibus.

Chriſtianos auerſatos fuiſſe libros Gentilium. Cap. xxiij.

Libros Gentilium auerſati ſunt priſci Chriſtiani. quid mirum? Sacram ſcripturam tantum habebant notã. In Eccleſia ſola legebatur, & exponebatur. vide Epiſtolas S. Ignatij, & aliorum, nihil præter S. Scripturam reperies. ſed prodeat S. Clemens in Conſtit. lib. 1. cap. xij. *Abſtinete ab omnibus Gentilium libris. Quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falſis Prophetis? quę quidem leues à fide abducunt. nam quid tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? ſi hiſtorica percurrere cupis, habes Reges, ſi ſophiſtica, & poetica, habes Prophetas, & Iob, & Prouerbiorum auctorem, ſi cantilenas cupis, habes Pſalmos, ſi rerum origines deſideras noſſe, habes Geneſim, ſi leges, & præcepta, habes glorioſam Dei legem.* Res ipſa clamat abſtinuiſſe Chriſtianos à libris Gentilium. nam quem Iuriſconſultum, Poetam, Hiſtoricum, Oratorem, Philoſophum, Medicum illorum temporum nominare licet, qui fuerit Chriſtianus? Iuriſconſultus fuit Tertull. ſed cum eſſet Gentilis. nam factus Chriſtianus, de quauis re potius

nius quam de Iure Ciuili Romanorum egit. contra Marcionem extant libri carmine comprehenſi à Chriſtiano. ſed quales, quæſo, ſunt verſus prorſus inepti: inter hiſtoricos nullus apparet. nam Africanus non hiſtoriam ſcripſit, ſed ſeriem temporum paucis verbis eſt amplexus. Iuſtinus non didicit philoſophiam apud Chriſtianos, ſed quam adeptus fuerat apud Platonicos, vt vanam, futilem, incertam reiecit ad Chriſtianos poſtquam eſt tranſgreſſus. de Origene alibi ſum locutus. Certè totus fuit in exponenda S. Scriptura, vt opera ipſius clamant. Rhetor fuit S. Cyprianus cum nondùm eſſet Chriſtianus, poſtea non coloribus oratorijs indulſit, ſed ex S. litteris deprompſit pleraq; omnia, quæ exarauit. Magna rerum cognitione, magnaq; eruditione fuit prædìtus Tertullianus, quam tamen non videtur paràſſe poſt tranſitum ſuum ad Chriſtianos. nã Presbyter nonniſi de rebus eccleſiaſticis ſcripſit, ſemper ferè vſus teſtimonio Prophetarum, & Apoſtolorũ. quod ſi demus paucos aliquos legiſſe libros Gentilium, aut peccârunt ea in re, aut eis ſunt vſi, vt faciliùs confutarent errorem Gentium. promiſcuè ſanè inter Chriſtianos ſolis libris S. Scripturæ erat locus, aut nonnullis dictatis, pro defenſione Religionis Catholicæ contra Gentiles, aut Hęreticos compoſitis. in ſcholis enim Chriſtianorum (ſi quæ tamen erant ante tempora Conſtantini) tantum elementa Chriſtianæ Religionis tradebantur. non Poeta, non Philoſophus, non Rhetor, non hiſtoricus, non Orator, non lex Romana exponebatur.

Ci an-

Si ante Cõſtantinum Chriſtiani ſpernebant leges Romanas, cur poſtea eas in ſcholis fuerint interpretati? Cap. XXIV.

SI Chriſtiani ante Conſtantinum auerſati ſunt ius ciuile Romanorum, neq; eius cognitioni putarunt eſſe incumbendum, cur Chriſtiani Imperatores, & præſertim Iuſtinianus leges Romanas, totamq; iuris prudentiam tanti fecerunt, vt publicè Romę Conſtantinopoli, Alexandriæ, Berythi voluerint exponi, & ſtudioſæ tradi iuuentuti? cur non contenti fuerunt lege Dei, præceptiſq; Euangelicis? cum præſertim tandem Italia planè reiecerit ius Ciuile Romanorum, donec tandem iuſſu Lotharij reditum eſt ad veterem iuriſprudentiam. Viciſſitudinem multiplicem fas eſt accuſare leuitatis; ſed reſpondere poſſumus Chriſtianos ante tempora Conſtantini, quia non imperabant, ſed parebant, fuiſſe contentos lege Dei. At poſtquam ipſi imperatores Chriſtianam ſunt amplexi religionem; res ipſa cæpit clamare, excolendum eſſe ius Romanum, niſi vellent omnia ſurſum, deorſum verti. Neque enim potuiſſent tolli mores antiquiſſimi, qui totum occupabant orbem, & legibus fulciebantur Romanis. Intellexerunt itaq; iuriſprudentiam Romanam nõ ſolum non incommodare religioni Chriſtianæ, ſed vtiliſſimam eſſe Reipublicæ, totiuſq; imperij maieſtati. vides quale arca-

num

num fuerit euulgatum, quando Conſtantinus tranſiuit ad Chriſtianam pietatem. Didicerunt nempe mortales, Religionem Chriſtianam, & ius Ciuile Romanorum inter ſe non pugnare.

Habuiſſe Chriſtianos ades ſacras, & oratoria. Cap. XXV.

HAbuiſſe Chriſtianos Dominica, Ædes ſacras, & oratoria dubitare non poſſumus. En tibi veterum teſtimonia. Euſeb. lib. 8 hiſt. Eccleſ. cap. 2. *Oratoria à culmine ad pauimentum vſq; vna cum ipſis fundamentis deijci vidimus.* Si deſtructa ſunt, prius conſtructa fuiſſe neceſſe eſt. idem lib 20. cap. 2 *Videntes ea loca, quæ paulo ante Tyrannorum fuerant impietatibus deſtructa exſuſcitari, ac templa rurſus ex fundamentis erigi.* Can. xxj Concil. Elib. *Siquis in ciuitate poſitus tres dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit.* Idem Can. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.* Metaphraſtes in octobri agens de S. Cypriano. Ingrediens igitur ἐις κυριακὸν, *In dominicum.* Synod. Laod. can. 28. *Non decere facere agapas in dominicis, aut Eccleſijs.* S. Clemens in Conſtit. Apoſt. cap. 62. *Conueniatis quotidie mane, & veſpere, pſallentes, & orantes in dominicis.* Plura proferre, puto eſſe ſuperuacaneum. vix autem crediderim paſſim magna mole conſtructa fuiſſe à Chriſtianis templa, cum ipſis ne quidem conuenire liceret abſq; magno periculo. vi-

S dentur

dentur potius domus verſæ in vſum ſacrum, atq; in illis rem ſacram feciſſe Chriſtiani. nam tales ædes non ita erant expoſitæ oculis populi, cum conuinctæ eſſent alijs. S. tamen Clemens ait Apoſtolos iuſſiſſe, vt formam nauis referret Eccleſia. vndè videtur poſſe colligi, conſtructas fuiſſe Eccleſias à Chriſtianis, formamque nauis in ſtructura imitatos. Sed par eſt credere, non vbiuis potuiſſe Chriſtianos eodem ſe gerere modo, vt vnuſquiſq; animaduertere poteſt, qui ob oculos ſibi ponit viciſſitudinem temporum, & varietatem nutantem inter pacem, & turbas.

AEdes ſacras Chriſtianorum ante Conſtātinum non fuiſſe appellatas Baſilicas. Cap. XXXVJ.

AEdes ſacræ Chriſtianorum ante Couſtantinum Baſilicæ vocatæ non ſunt. nullum enim ſcriptorem proferre licet, qui vixerit illis temporibus, & Baſilicarum nomine, hac in re vſus fuerit. Baſilicę autem ſunt appellatæ Eccleſiæ à Conſtantiuo conſtructæ, quod formam referrent Baſilicarum, quæ domus erant ampliſſimæ Romæ, in quibus prætores ius dicebant. ſed aduerſus id, quod diximus, obijcere eſt teſtimonium Anonymi ſcriptoris, qui paulo poſt obitum S. Auguſtini diſputauit in libro contra Prædeſtinatianos. inquit enim quando. 96. hær. agit contra Tertullianiſtas: *Tertullianus apud Carthaginem baſilicam habuit, vbi populi ad eum conueniebant, quæ Baſilica vſq; ad Aurelium Epiſcopum fuit*

fuit. Facile eſt reſpondere, vocatam fuiſſe baſilicam Tertulliani Eccleſiam, ſumpto vocabulo ex ſubſecutis temporibus. Nam poſt tempora Cõſtantini omnes Eccleſiæ cœperunt appellari baſilicæ, etiã ſi fuiſſent cõſtructæ tunc, quãdo nõ erat moris eas Baſilicas appellare.

Non exigi ſolita ſtipendia ſacerdotum, ſed vnumquemq; pro lubitu contuliſſe. Cap XXXVIJ.

VT alerentur ſacerdotes apud veteres Chriſtianos, nihil exigebatur. neque quiſquam poterat compelli, vt ſtipendium ſolueret templi, religioniſq; cauſa. Qua ratione igitur conferebatur pecunia, abſq; qua vita ab eis, qui ſacra tractabant, tolerari non poterat? reſpondere eſt, vnumquemq; ſponte contuliſſe, quod volebat, quod poterat. verè hæc à me pronunciari, oſtendent verba Tertulliani. nam cap. xiij Apolog. reprehẽdit Gẽtiles, qui religionis cauſa exigebant à volentibus nolentibus pecuniam. inquit autem: *Exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri. non licet deos noſſe gratis. venales ſunt.* Cap. 39. fatetur apud Chriſtianos eſſe arcam, ſed non talem, quam habebant gentiles. *Etiamſi*, inquit, *quod arcæ genus eſt non de honoraria ſumma, quaſi redempta religionis congregatur.* Notat Gentiles, qui redimebant religionem, remq; ſacram metiebantur pretio. de Chriſtianis ſubijcit: *Modicam vnuſquiſq; ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit apponit, nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.* Hæc Tertullianus.

Chriſtianos veteres non ſolitos mendicare. Cap. xxviij.

NVnquam legitur Chriſtus mendicáſſe, nunquam Apoſtoli. S. Paulus vitam tolerauit opificio, ne cuiquam moleſtus eſſet. Conferebant ſtipem Chriſtiani, conſulebantq; nonnullorum fidelium egeſtati, ad quod faciendum monebantur ab Epiſcopis, & Sacerdotibus. Eiuſmodi monita repetita nouimus in Epiſtolis S. Pauli, ex quibus multa depromere nihil hic attinet. Veteres Chriſtianos, vt ſe inuicem maximo proſequebantur amore, multa contuliſſe in commune diſcere eſt ex Iuſtino, Tertulliano, atq; etiam alijs. At non circuibant Sacerdotes, & Religioſi oſtiatim petẽtes ſtipem. hoc moris erat apud Iſidis Sacerdotes, quos eo nomine irridet Tertullianus. aliás etiam circumibatur, & pecunia Religionis cauſa petebatur. Tertullianus id narrat cap. 13. Apolog. *Circuit cauponas religio mendicans*. ſed de Chriſtianis cap. 39. Apolog. *modicam vnuſquiſq; ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit. nam nemo compellitur, ſed ſpontè confert*. De mendicantibus Sacerdotibus Iſidis videri poteſt Apuleius, quem iam non exſcribo. dices, hodie in Eccleſia Catholica multos eſſe mendicantes viros Religioſos. An hoc damnabimus? Nequaquam. fateor tunc primum inualuiſſe vſum mendicando, quando S. Franciſcus, S. Dominicus erexére caput. nam ſe

pau-

paupertati ita obſtinxerunt, vt vitam tolerarent mendicando. quod rectè factum fuiſſe oſtendit S. Thomas, opuſculo in eam rem conſcripto.

Videri quandoq; Clericos exercuiſſe opificium. Cap. xxjx.

ALiqui Clerici, & Sacerdotes, quod paupertina eſſet Eccleſia, ante Conſtantinum, opificio vitam tolerabant, forte ne ſi ſtipendium exigerent, graues eſſent atq; moleſti laicis. En tibi verba Tertulliani de Idolol. cap. 7. *adleguntur in ordinem Eccleſiaſticum artifices Idolorum.* quod grauiſſimè reprehendit Tertullianus. nam nec fas putat laico conſtruere Idola, vt vitam toleret. Multo magis id reprehendendum in Clerico. exclamat Tertull. *proh ſcelus. ò manus præcidendæ.* dices, Chriſtianos ſolitos conferre ſtipem, quę Sacerdotes aleret, vt alibi doceo. Ergo nil cauſæ erat, cur opificio victum pararent. Reſpondere eſt, quibuſdam in locis adeò egenos fuiſſe Chriſtianos, vt alere non poſſent Sacerdotem, & Clericos. Erit tamen, qui Tertullianum dicat tantum dolere eos, qui cōſtruxerunt Idola admitti ad ordinem Eccleſiaſticum, ne quis putet Clericos, dum Clerici erant, Idola conſtruxiſſe.

An Collegia Chriſtianorum ante Conſtantinum fuerint illicita? Cap. XXX.

AN Collegia Chriſtianorum antè Conſtantinum fuerint illicita, quærēdum hic eſt. fortè affirmauerit, qui legit Epiſtolam Adriani ſcriptam ad Minucium Fundanum, quæ extat apud S. Iuſtinum Martyrum. neq; enim patitur quemquam puniri, quod Chriſtianus ſit. Antoninus quoq; vt eſt apud eundem, iubet omnis criminis eſſe expers nomen Chriſtiani, modò nihil aliud obijciatur. Marcus verò Imperator vetat, ne Præſides quemquā inducant terrore, vt nō ſit Chriſtianus. diebus dominicis ſtato tempore conueniebant, quod nō licuiſſet, ſi collegia fuiſſent illicita. habebant ædes ſacras, dominica, oratoria, vt diſcere eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica Euſeb. lib. 10. cap. 2. & lib. 8. c. 2. An potuiſſent conſtruere Templa, ſi ne quidem conuenire fas ipſis fuiſſet? Neq; dicas opus fuiſſe Senatuſconſulto, vt licita forent, nam immenſa multitudo non indigere videtur Senatuſconſulto, neq; enim facit collegium, ſed ipſa eſt ciuitas. Reſpondendum nihilominus eſt, Chriſtianorum cœtus illicitos fuiſſe, cum de ijs nullum eſſet factum Senatuſconſultū. explorata nempe eſt regula apud Iuriſconſultos, omne collegium eſſe illicitum, de quo non eſt factum Senatuſconſultum. nihil autem eiuſmodi de cœtibus Chriſtianorū licet proferre. inſpiciantur Pandectæ. Quid, quęſo, reperire eſt in

hanc rem? Epiſtolæ porrò Imperatorum relatæ non ſunt inter Principum Conſtitutiones, quas legimus in Codice, vt propterea videantur deſtitui robore. Adde ſi veræ ſint, iubere tantum, ne quis eo ſolo nomine puniatur, quod Chriſtianus ſit, & ne quis cogatur deſerere Chriſtianam Religionem: non ideò volunt licere Chriſtianis cœtus agere Religionis cauſa. Qui autem priuatim colunt Deos, & colendi Numinis cauſa cœtus ineunt, peccant in leges Romanas, atq; adeò puniri poſſunt, etiam ſecundum litteras prolatas à Iuſtino. Nolunt enim puniri Chriſtianos, ſi non peccent in leges. Sed in leges peccat, quiſquis ad ſegregem cœtum Religionis cauſa conuenit. Adde multos Imperatores puniuiſſe Chriſtianos, atq; adeò aut putâſſe fictas eſſe Epiſtolas illas, aut earum non habēdam eſſe rationem. fateor equidem, cōueniſſe Chriſtianos, ſed noui dediſſe operam Præſides ne conuenirent, vt legere eſt apud Plinium lib. x. epiſt. 100. Nec talis erat multitudo, vt eſſet totus populus. Valde multi erant, fateor, ſed pleriq; ex plebe, cuius paruam ſcimus haberi rationem. hinc ait Plinius ibidem. *Neq; enim ciuitas tantum, ſed vicos etiam atq; agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt, quæ videtur ſiſti, ac corrigi poſſe.* habuiſſe ædes ſacras nō nego, nam nonnulli Imperatores mites cum eſſent noluerunt eis, cum plurimi forent, mortem intentare. Alij verò ædes eiuſmodi ſolo æquari iuſſerunt.

Qua

Qua ratione ſe gererent illi, qui accuſati, quod Chriſtiani eſſent, Chriſtiani autem non erant, vt ſuſpicione ſe purgarent?

Cap. xxxj.

QVa ratione ſe gererent illi, qui vellent notam Chriſtianiſmi à ſe depellere, oſtendereque ſe Chriſtianos non eſſe, hic breuiter exponendum. nam ſatis conſtat, quandoque accuſatos tanquam Chriſtianos, qui Chriſtiani non erant. aliqui etiamſi Chriſtiani forent, metu tamen tormentorum, quę intentabantur, trepidi non nunquam nuncium Chriſto mittebant. Appellabant igitur deos, ſimulacris Numinum, & ipſius imperatoris imagini thure, ac vino ſupplicabant. En tibi verba Plinij lib. x. epiſt. 100. *Qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cum praeunte me deos appellarent, & imagini tuæ* (alloquitur Traianũ) *quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum adferri, thure, ac vino ſupplicarent.* Poſſent plura ſimilia proferri. Iubebantur etiam maledicere Chriſto. ibidem Plinius: *Praeterea maledicerent Chriſto.* Apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccles. cap. 15. *Inſtante Proconſule, & dicente: Conuiciare Chriſto.* Reſpondit verò Polycarpus ſe nequaquam Chriſto maledicturum, cui ſeruierit octoginta ſex annos. Iurabant etiam per Cæſaris Fortunam, vt eſt videre apud eumdem Euſebium. Nam Polycarpus conſtans in fide re-

nuit

nuit tali iuramenti formula vti. cum præſertim animaduerteret Proconſulem exiſtimare, Gentiliũ Religionem ſuſcipi ab eo, qui ſic iurare paratus foret.

Antiquos Chriſtianos non conſueuiſſe velare Virgines. Cap. XXXIJ.

NVm velabantur Virgines apud Chriſtianos? virgines dum voco, de ijs loquor, *Quę tranſitum ætatis fecerunt*, vt loquitur Tertullianus lib. de virgin. veland. cap. 1. Sermo nempe eſt de virginibus, quæ nubiles ſunt, maturæ viris. nam paruæ puellæ ad velum in hac quæſtione non vocantur. affirmo autem velari non conſueuiſſe. hoc fatetur Tertullianus. fremit propterea, doletq; ſe contrario more premi, ne totis velis orationis poſſit ferri contra eos, qui aiebant velandas non eſſe. Inficias tamen nõ imus alicubi tunc velari ſolitas in Græcia nempe, apud quoſdam barbaros, & in parte Africæ. En tibi Tertullianeam narrationem cap. 2. *Per Græciam, & quaſdam Barbarias eius, plures Eccleſiæ virgines ſuas abſcondunt*. Eſt & ſub hoc cęlo inſtitutum iſtud alicubi. ſed mos non multarum Eccleſiarum nequaquam opponi debet omnium Eccleſiarũ cõſuetudini, nec par eſt haberi rationẽ eius, quod eſt apud paucos, ſi cum innumeris conferantur, quorum auctoritati aduerſari, hoc verò eſt brachia nequicquam obijcere torrenti.

Diſcubuiſſe in triclinio Chriſtianos, quando inibant Agapas.
Cap. xxxiij.

NVm diſcumbebant Chriſtiani in lectis, quando cænas, Agapas dictas, inibant? quidni? nam mos Romanus non ferrebat vt aſſiderent menſis. accumbebant in lecto. hinc decantatum triclinij nomen; quo vtitur Tertullianus quoq; quando de cænulis Chriſtianorum agit in Apolog. cap. 39. *De ſolo triclinio Chriſtianorum retractatur.* Vide verò ſanctitatem illorum Chriſtianorum. etenim eiuſmodi cænis interfuiſſe fæminas alibi diximus. videbatur ire in diſcrimen pudicitia. nihil tamen vnquam narratum fuiſſe à Gentilibus, quod adulterium, ſtuprum, incæſtum ſaperet, tradit in eodem Apologetico Tertullianus Poſtquã autẽ orbis fere totus, Conſtantino præeunte, amplexus eſt ſacra Chriſtiana, meritò ſunt ſublatæ Agapæ. nàm quod inter paucos ſanctitate fulgentes locum habet, id degeneraret in labem, ſi obtineret in frequentiſſimis cœtibus.

Quid

Quid anſam præbuerit Gentilibus accuſandi, vt prodigas, Chriſtianorum Agapas?
Cap. XXXIV.

ACcuſatas fuiſſe cænas Chriſtianorum, vt prodigas à Gentilibus conſtat ex Apologetico Tertulliani, quaſi Chriſtiani in ijs parandis magnos fecerent ſumptus, & genio plus ſatis indulgerent. facile eſt, in eiuſmodi ſic ſe gerere, vt reprehenſioni ſit locus apud eos, qui non abſq; ſeueritate de alienis iudicium ferunt. S. ſane Paulus in 1. ad Cor. cap. 10. obiurgat diuites, qui in Agapis ad ebrietatē vſq; ſcyphos exhauriebant. Cur etiam Sanctus Iudas, dum acriter inuehitur in quoſdam falſos fratres, ait eos eſſe *maculas in Agapis*? hi nempe fædabant ſanctitatem illarum cænularum, ſiue potando, ſiue garriendo, ſiue alia ratione in modeſtiam, quæ Chriſtianos decebat, peccando. Quæ omnia faciunt, ne miremur, ſi Gentiles in inuidiam traherent menſas eorum, quos alijs quoq; nominibus nunquam non traducebant.

Fæminas quoq; nocturnis cætibus Chriſtianorum interfuiſſe. Cap. XXXV.

FAcillimum eſt eos traducere, atq; turpi inſignire nota, qui noctu cætus agunt, ſimulq; ſumunt cibum, præſertim ſi non abſint mulieres. apud Poetas profectò virgines ferè deuirginantur in Dionyſijs, in Cereris vigilijs, eiuſmodiq; feſtis, quæ in noctem incidebant. nec ſatis eſt obtendere Religionem, vt criminis ſuſpicio depellatur, cum ſatis ſuperq; conſtet, ſæpè pietatis obtentu ſcelera perpetrari. pronũ igitur erat innocentiæ antiquorum Chriſtianorum ſtruere calumniam. nam de antelucanis ipſorum cætibus iam egi. non fert Tertullianus libi 2. ad vxorem, fæminam Chriſtianam nubere Gentili, nam ipſe non patietur eam *nocturnis conuocationibus* intereſſe. illis porrò verbis, *ſi ita oportuerit*, puto indicari conuocationes, quæ quandoque fiebant extra ordinem, vt precibus fuſis Deus ſæuitiam Gentilium depelleret à ceruicibus Chriſtianorũ. nam cætus antelucani ſtati erant, pernoctabant Chriſtiani, hoc eſt totam noctem tranſigebant in cœtu & feſto Paſchatis. eiuſdem Tertulliani verba nota ſunt lib: 2. ad vxorem cap. 4. *Quis ſolemnibus Paſcha obnoctantem* (vxorem) *ſecurus ſuſtinebit?* Agapæ quoq; noctu inſtituebantur, cum mos Romanorum ignoraret conuiuia diurna. in noctem igitur talia differebantur. audiamus Tertullianum cap. 39. Apolog. *Cœnulas noſtras præter-*

quam

Digitized by Google

quam ſceleris infames, vt prodigas ſugillatis. interfuiſſe fœminas nō dubitamus. neq; enim cæteroqui vel in ſpecie Gentiles mendacia ſpargere potuiſſent de inceſto, de coitu. in Apolog. cap. 7. *dicimur ſceleratiſſimi de inceſto poſt conuiuium*, de euerſis luminibus, & impiarum libidinum inuerecundia. vt eos defendat Tertullianus inquit; *quis vel in vxoribus aliqua immunda veſtigia deprehendit?* vides interfuiſſe mulieres nocturnis cœtibus.

Antiquos Chriſtianos vix quicquam ſuſcepiſſe peragendum abſq; ſigno Crucis. Cap XXXVJ.

NVllam non partem vitę ciuilis ſignabat occupando, & occupabat ſignando ſignum Crucis. quis dubitet ritum adeò frequentem, & vſu quotidiano vulgatum ab Apoſtolis profectum? Teſſeram Chriſtiani, & Chriſtianæ ſocietatis appellaueris ſignum. vt exiſtimandum ſit plurimos deprehenſos in ea Religione, raptoſq; iuſſu præſidum in vincula, quod ductu manus ſignū Crucis efformarent. Suffecerit vnum Tertulliani proferre teſtimonium ex lib. de Corona. cap. 3. *Ad omnem progreſſum atq; promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad calciatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumq; nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* finge iam te videre Chriſtianum Tertullianei ſeculi. Si prodeat in publicum, Cruce ſe munit. ſi aliquis ſit adeundus, in ingreſſu ædium, ad Crucem confugit. ſi diſcedat, Cruce non deſtituitur,

veſtes

Digitized by Google

veſtes ſi induat, non obliuiſcitur Crucis. calceos ſi ſumat, in promptu eſt ſignum Crucis. ad balnea ſi ſe conferat, ad Crucem refert manum, accumbit menſæ cibum ſumpturus? præit Crux. infertur lucerna, nocte ingruente, aut accenditur antelucano tempore? Cruce illuſtrãtur tenebræ. itur cubitum? non abſq; Cruce in ſomnũ vertuntur lumina. ſi ſedendum ſit, accedit Crux. vides vtramq; paginam pietatis conſtare ſigno Crucis. Quò magis miror eos, qui Geneuæ degunt, aut alibi auerſantur Romanam Eccleſiam multum operæ Tertullianeæ impendere lectioni, palamq; aſſerere cœtus ſuos quam ſimillimos eſſe ijs, quos tulerunt tempora deſcripta à Tertulliano. nam ſi id verum eſt, cur ipſi nunquam frontem Crucis ſigno muniunt? ſi ſeculum Tertullianeum Chriſtianorum referendum eſt, terenda fuerit frons Cruce, *quacumq; conuerſatione exerceamur*. Alijs perſuadeant ſe ad vetuſtos Chriſtianorum mores accedere, ijs certè, qui Tertullianum euoluerunt, nunquam perſuadebunt.

XV. primos Epiſcopos Hieroſolymitanos fuiſſe ex Circumciſione. Cap. xxxviij.

CVm S. Paulus, imò omnes Apoſtoli exploſerint circumciſionem, mirum eſt Epiſcopos Chriſtianos Hieroſolymorum aliquandiu non alios electos fuiſſe, quam qui eſſent ex circunciſione. En verba Sulpi-

tij Seueri lib. 2. hiſtor. ſacr. *tum Hieroſolyma nonniſi ex circumciſione habebat Eccleſia Sacerdotem.* ad quem locum annotat Sigonius: *Eccleſia Chriſtianorum Hieroſolymis non habebat Epiſcopum, niſi qui fuiſſet Iudæus, ac circumciſus*, vt Iacobum fratrem Domini, & Simeonem, & cęteros vſq; ad Marcum; quod narrat ex Euſebio. is enim lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. xij. ait poſt vaſtationem Iudæorum àb Hadriano factam demum cœpiſſe eſſe Hieroſolymorum Epiſcopos eos, qui ex gentibus erant poſt illos, *qui ex circumciſione fuerant*. lib. 4. cap. 5. poſtquam recenſuit Epiſcopos Hieroſolymorum vſque ad Hadriani tempora, inquit: *Tot fuerunt Hieroſolymorum Epiſcopi inde à temporibus Apoſtolorum, & ad id vſq; temporis fuerunt omnes ex circumciſione*. Cur ergò dixit Paulus: ſi circumcidàmini Chriſtus vobis nihil prodeſt? puto hoc tributum fuiſſe honori legis Moſaicæ, vt illi potiſſimum renunciarentur Epiſcopi, qui eſſent ex circumciſione.

Fideles Hieroſolymorum videri circumciſionem obſeruaſſe vſq; ad Hadrianum. Cap xxxviij.

NOn ſoli Epiſcopi, qui erant Hieroſolymis vſq; ad vaſtationẽ factam ab Hadriano fuerunt ex circũciſione, ſed & pleriq; omnes fideles, quod certè admiratione non caret. Sulpit. Seuer. lib. 2. hiſtor. ſacr.

tum

tum penè omnes Chriſtum Deum ſub legis obſeruatione crede-bant. Scribit de rebellione Iudæorum ſub Hadriano. talem obſeruationem appellat Seuerus *Legis ſeruitu-tem*. Euſeb. lib. 4. cap. 5. hiſt. Eccleſ. *Conſtitit tunc omnis Eccleſia ex fidelibus Ebræis, qui inde ab Apoſtolis ad eam vſq; vaſtationem durarunt*. Quis non miretur tandiu potuiſſe obſeruari legem Moſaicam, qui cogitet tam multa fuiſſe prolata á S. Paulo in Epiſtola ad Galatas, quibus eos deterret à legis obſeruatione? Neſcio autem quam vere ſcripſerit Seuerus Chriſtianos obſeruaſſe legem Moſaicam, cum apud Euſebium nihil eiuſmodi legatur. Aliud profectò eſt aſſumi ex circumciſione, & circumciſos amplecti Religionem Chriſtianam, aliud verò, dum quis Chriſtianus imò Epiſcopus eſt, circumcidi.

De hæreſi Nazaræorum, qui ſe circumcidebant. Cap. xxxjx.

NAzaræorum hæreſis ideò obtinuit, quod hac ratione viderentur vitare periculum, quod imminebat Chriſtianis. nam qui circumcidebãtur, ab Ethnicis exiſtimabantur eſſe Iudæi, atq; adeo tanquam Iudæi non vexabantur. En verba S. Hieron. in cap. 6. ad Galat. *Caius Cæſar, & Octauianus Auguſtus, & Tyberius ſucceſſor Auguſti, leges promulgauerant, vt Iudæi qui erant in toto orbe Romani Imperij diſperſi proprio ritu viuerent, & patrijs ceremonijs deſeruirent; quicumq; igitur*

circum-

circumciſus erat, licet in Chriſtum crederet, quaſi Iudęus habebatur à gentibus, qui vero abſq; circumciſione ſe non eſſe Iudæum preputio præſerebat perſecutionibus tàm Gentilium quam Iudæorum fiebat obnoxius. hæc ille. Nolim autem quemquam putare Chriſtianos, qui tunc circũcidebantur (ſi tamen circuncidebantur) hoc ritu vſos fuiſſe, quaſi crederent circumciſionem eſſe neceſſariam, & eſſe ſacramentum nouæ legis, noſtræq; ſalutis inſtrumentum: procul fuerunt ab eiuſmodi opinione, tantumq; honoris legis Moſaicæ vtcumq; hoc dederunt, vt eam cæremoniam adhuc retinerent.

Primis Chriſtianis ſabbatum aliqua ex parte feſtum fuiſſe. Cap. XXXX.

SAbbatum aliqua ex parte ſeruatum, vt feſtum à primis Chriſtianis diſcere eſt, ex Clementis Conſtitutionibus, & Epiſt. S. Ignatij. lib. 7. Conſtit. cap. 24. hæc leguntur verba: *Sabbatum, & dominicum diem feſtum agite, quoniam illud naturæ conditæ eſt monumentum, hic reſurrectionis*. S. Ignatius Epiſt. ad Philipp. *Quicumq; dominicam, aut ſabbatum ieiunauerit* præter ſabbatum Paſchę, ipſe eſt Chriſti interfector. vides diem doninicum, & ſabbatum á S Ignatio prope exæquatũ fuiſſe. S. Clemens lib. 7. cap. 36. ſabbatum laudat, ſed præfert diem dominicum. *Sabbatum*, inquit, *eſt creationis requies. mundi perfectio, legum inueſtigatio, grata Dei laus in ijs, quæ hominibus eſt largitus. ijs omnibus*

pus ſtat dominicus dies. Sed obijcies verba S. Ignatij epiſt. 6. quę eſt ad Magneſ. *Non ergo Sabbatizemus Iudaicis ferijs gaudentes: qui enim non operatur, non manducet; ſed vnuſquiſq; veſtrum ſabbatizet ſpiritaliter meditatione legis congaudens, non corporis dimiſſione fabricationem Dei admirans; ſed pro ſabbatizatione diem feſtum celebret omnis Chriſtianus, dominicam reſurrectionem regalem eminentiſſimam omnium dierum.* Hæc ille, quæ non videntur concinere prioribus. ſed animaduertendum Chriſtianos ſic obſeruaſſe ſabbatum, vt magis propenderent in dominicum diem, & ſic abſtinuiſſe à ieiunio in ſabbato lætitiæ cauſa, vt tamen non putarent omnino more Iudaico abſtinendum ab omni opere. ſi itaq; opera corporalia reſpiceres, vix illis feſtum erat ſabbatum, ne viderentur cum Iudæis ſabbatizare. in die vero dominico magis lętabantur, & magis ab opere ceſſabant, vt tamen non viderentur ab omni opere abhorrere, ne exiſtimarentur ſuperſtitionem ſabbatinam Iudæorum imitati. his animaduerſis, puto non dicturum quemquam ſibi ipſi aduerſari S. Ignatium: tempore autem Tertulliani apparet ſolum diem ſolis feſtum fuiſſe Chriſtianis, Nam ideò putabant Gentiles Chriſtianos colere ſolem, quòd diem ſolis feſtum agerent. ſabbati nulla mentio.

Quod

Quod in ſabbato Paſchæ ieiunium obſeruarent antiqui Chriſtiani. Cap. xxxxj.

CVr noluit ieiunium ſeruari in die ſabbati S. Ignatius, ſi mæſtus eſt dies propterea, quod tunc corpus ipſius Domini erat in ſepulchro exanime? an lætitiæ tunc indulgendum, quando ob mortem Seruatoris inuitamur ad luctum? Reſpondendum puto, primos Chriſtianos lętum egiſſe, & fere feſtum ſabbatum ob memoriam creationis, hinc dixit Clemens in Conſtit. lib. 7. cap. 36. *Domine, qui ſabbatum propter id inſtituiſti, quoniam in eo quieuiſti ab operibus in meditationem tuarum legum, feſtaq; pręcepiſti in lętitiam noſtrarum animarum, vt memoriam recoleremus creatæ à te ſapientiæ.* Putarunt tamen aliquam eſſe habendam rationem dominicę ſepulturæ, vt indulgerent propterea luctui, ſed ſemel id fiebat quotannis in hebdomade paſſionis. En tibi verba S. Clementis lib. 7. cap. 24. *Vnum autem ſabbatum ſeruandum vobis eſt in toto anno, quod pertinet ad ſepulturam Domini, in quo ieiunare oportet, non feſtum agere.* Cedit itaq; lętitia ob inſtitutam naturam luctui ea die, qua auctor naturæ iacuit in ſepulchro, vt indicant eiuſdem Clementis verba: *Nam quo tempore naturæ auctor ſubter terram degit, validior eſt de eo luctus, quam de natura inſtituta lætitia; cum opifex naturæ, ac dignitate ſuis operibus ſit pręſtantior.* Hæc Clemens. teſtatur autem, & S. Ignatius ſemel in anno ſoli-

tos in ſabbato ieiunium obſeruare Chriſtianos. nam inquit epiſt ad Philipp. *Quicumq; ſabbatum ieiunauerit preter vnum ſabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Hęc S. Ignatius.

Diem ſolis cur voluerint eſſe ſacrum Chriſtiani? Cap xlij.

SOlitos Chriſtianos rei ſacrę cauſa cœtus agere diebus ſolis, quos vocauerunt dominicos, peruulgatum eſt ex Iuſtini Apolog. 2. inquit enim. *Die ſolis vrbanorum, ac ruſticorum cœtus fiunt.* Tertullianus in Apologetico cap. 8. ait Chriſtianos conſueuiſſe die ſolis indulgere lætitiæ. hac de re nihil ſancitum legimus, vel in Euangelio, vel in litteris Apoſtolorum. vt quamprimum Chriſtianos, poſtquam à Iudæis palam receſſerunt, ſacrum voluiſſe eſſe diem ſolis, non ambigamus. nam Iuſtinus, & Tertullianus, vt de re ſtata loquuntur. iampridem igitur mos inualuerat. ſuſpicati propterea ſunt Gẽtiles à Chriſtianis adorari ſolem, vt teſtatur idem Tertullianus cap. 16. Apologetici, qua in re deceptos quis non videt? ſed quærendum eſt, cur præcipuè diem ſolis voluerint eſſe feſtum Chriſtiani? id factum puto, vt abiretur in alia á Iudæis. ab ipſis ſi hauſerant Chriſtiani ſtatum diem in hebdomade eſſe dicandum cultui diuino, alium elegerunt à die ſaturni, ne Iudaicæ viderentur eſſe ſectæ. alias indicat cauſas Iuſtinus in 2. Apologia ſub finem: *Conuentus autem hoc die ſolis facimus,*

quoniã hac die primum Deus depulſis tenebris, formataq; materia mundum creauit. Ieſus Chriſtus quoq; ſeruator eadem die reſurrexit à mortuis. Hæc Iuſtinus. Qua porrò auctoritate dies ſabbati tranſiuerit in diem ſolis, differo alibi, nempe in meo conatu in Geneſim. decipi porrò Gentiles, dum putarent à Chriſtianis ſolem coli, quia die ſolis lætitię indulgerent, ex eo oſtendit Tertullianus, quia nonnulli diem ſaturni otio, & victui decernunt, cum tamen Iudæi non ſint. operæ eſt apponere verba ſcriptoris, nam poſſit quis in eorum decipi ſenſu: *Æquè ſi die ſolis lætitię indulgemus, alia longè ratione, quam religione ſolis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem ſaturni otio, & victui decernunt, exorbitantes & ipſi ab Iudaico more, quem ignorant*.

Abſtinuiſſe à Ieiunio Christianos die Dominico, nec ſolitos genua flectere. Cap. xliij

CVm hilaritate diem ſolis tranſigebant Chriſtiani. teſtatur id Tertullianus in Apolog. cap. 16. hinc iubebant faceſſere omnia, quæ mæſtitiam præferrent. Nefas igitur ea diẽ vel ieiunio corpus affligere, vel genua inter orandum flectere. Audi Tertull. de Corona cap. 3. Die *Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare*. Hoc ſecundum cum ab aliquibus negligeretur, occurrerunt corrupto mori ſuo canone Patres Concilij Nicæni. Canonem proferre nihil attinet, cum ſit notiſſimus.

Non licuiſſe poſt Baptiſmum ieiunio incumbere. Cap. XLIV.

AN fas eſt poſt Baptiſmum ieiunio incumbere? affirmabis. nam & Chriſtus poſt Baptiſmum *quadraginta diebus ieiunijs functus* dicitur, vt obſeruat Tertullian. de Baptiſ. cap. 20. imò videmur non poſſe omittere ieiunium, ſi Chriſti nobis ſunt terenda veſtigia. obſtat tamen huic rei, vt inquit Tertullianus ibid. *neceſſitas gaudij, & gratulatio ſalutis.* gaudere quis neſcit eos, qui nouæ vitæ ſunt adepti regnum? ieiunia cum mœrore ſunt coniuncta. diebus igitur dominicis non flectebant genua, non ieiunio incumbebant Chriſtiani. exemplum verò Chriſti hic non vrget, nam alijs de cauſis ſuſcepit ieiunium Chriſtus, de quibus legere eſt Tertullianum eiuſdem libri vltimo capite.

Non Iudæorum cauſa, ſed ob præceptum Apoſtolicum veteres Chriſtianos abſtinuiſſe à ſanguinis eſu. Cap. XLV.

VErba ſunt Tertulliani in Apolog. cap. 9. iam notiſſima: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoq; ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto.* ſunt

qui

qui dicunt, hæc obſeruata fuiſſe à Chriſtianis, ne ſcandalum præberetur Iudæis, ſi viderent totam legem Moſis inſuper haberi, atq; contemni ab ijs, qui Chriſto nomina dediſſent. ſed iam ratio ſcãdali ceſſárat. palam enim profitebantur Chriſtiani, ſe cum Iudæis non ſentire, eosq; vt hoſtes Chriſti auerſabantur; vt dicere par non ſit, Chriſtianos Iudęorum cauſa abſtinuiſſe à ſanguine. Nonne in Occidente id inſtitutum viguit vſque ad Mauri tempora? & in Oriente ipſe Leo Imperator exilio putauit multandos, qui ſanguinem comederent? paruerunt Chriſtiani præcepto Apoſtolico, quod extat Act. 15. Etſi tunc habuerint rationem Iudæorum, cum edictum condiderunt, poſteri tamen auctoritati Apoſtolicæ id acceptum retulerunt, Apoſtolorumq; cauſa ſibi faciendum putarunt, vt ſanguinis eſum ſemouerent à ſuis moribus. Nec tamen peccamus nos hodie, qui ſanguine veſcimur. etenim neceſſe nõ eſt omnia præcepta Apoſtolica eſſe perpetua, ſemperque obſeruari ad finem vſq; ſeculorum. quod alijs exemplis oſtendere fas eſſet, ſi id nunc ageretur. videri tamen poteſt meus conatus in Diuinam Geneſim, vbi de tota quæſtione plura depromo.

Mulieres Chriſtianas conſueuiſſe ad oſculum conuenire viris, qui mariti non eſſent. Cap. xlvj.

IVſſerat Paulus Chriſtianos ſe mutuo excipere oſculo in ea, quam ad Romanos exarauit Epiſtola. hoc obſer-

obſeruatum apparet vbiq; in cœtibus Chriſtianorum poſt exceſſum ipſorum Apoſtolorum, cum celebraretur diuina Euchariſtia. ſunt verba Iuſtini in ſecunda Apologia pro Chriſtianis: *poſt precationem nos ſalutamus mutuo oſculo*. num viri tunc & mulieres oſculabantur, etiã ſi coniuges non eſſent? hæreo. nam ſaltem extra ordinem mulieres Chriſtianas ſolitas fratribus ad oſculum occurrere teſtatur Tertullianus cap. 4. lib. 2. *iam verò alicui fratrum ad oſculum conuenire*. ſermo eſt de muliere Chriſtiana, ſi ſit nupta Gentili. an feret ille vxorem ſuã Chriſtiano ad oſculum conuenire? Nequaquam.

De oſculo, quo ſe inuicem in Eccleſia excipiebant Chriſtiani. Cap. xlvij.

APud Gentiles frequenter ad oſculum occurrebant cum obuium haberent aut ſanguine ſibi iunctum, aut amicitia deuinctum. vt mirum non ſit, ſi apud Chriſtianos priſcos oſculo frequenter vterentur, pignore fraterni amoris, & beneuolentiæ in Chriſto. Hinc S. Paulus cum ſcriberet Epiſtolam ad Romanos cap. 16. dixit: *Salutate inuicem in oſculo ſancto*. imitatus eſt S. Paulum Ignatius Ep. 7. quæ eſt ad Tarſenſes, dum inquit: *ſalutate inuicem in oſculo ſancto*. obſeruant autem interpretes oſculo exæquari omnes. Cum enim omnes Chriſtiani ſint fratres in Chriſto, omniũ vna eſt dignitas. En tibi Theophil. verba in locum Pauli: *Ne altercatio oriatur, quod varia etiam per ſe appellatione ſint nuncupati*

eupati, & in pari prorſus laudum genere affecti, hos demum ex oſculo ſancto permiſcet, & pares facit, ne maior inferiorem contemnat, vel inferior inuideat maiori, oſculo hoc ſancto mitigante omnia, & coæquante. Theodoretus ſanctum oſculum interpretatur honeſtum, modeſtum, ſincerum, germanum, & ab omni dolo alienum. ibidem ait S. Paulum iubere, vt Chriſtiani ſe inuicem *complectantur*. Ex Tertulliano lib. de Oratione cap. 14. diſcere eſt Chriſtianos peractis precibus ſe ſolitos inuicem excipere oſculo; nam vocat ibi oſculum *ſignaculum orationis*, oſtēditq; pacis fuiſſe pignus, & argumentum. puto autem nomine orationis, quādo de oſculo agitur, intelligi pręcipuè Euchariſtiam, & oblationem corporis, & ſanguinis Domini. nam in lib. ad Scapul. inquit: *Sacrificamus pro Imperatore pura prece*. Hoc eſt abſq; effuſo ſanguine victimarum. ſic quando de oſculo diſputat Tertullianus inquit: *Quę oratio cum diuortio ſancti oſculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? quale ſacrificium, à quo ſine pace receditur?* Vides non potuiſſe alere inter ſe ſimultatem Chriſtianos, quandoquidem peracta Euchariſtia pacis pignus inuicem inter ſe communicabant. Ita fouebatur mutuus amor, mutua beneuolentia, vt propterea admirationis pleni Gentiles dicerent de Chriſtianis: vt ſe inuicem amant. diſſimulandum autem non eſt, oſculum ſignaculum orationis fuiſſe proprium Chriſtianorum. Non enim legimus Gentiles, aut Iudæos in templis, & Proſeuchis peracta oratione, peractaque re ſacra ſe inuicem exoſculatos. Sic nouimus nullam ſocietatem poſſe coaleſcere, niſi

aliquos habeat ritus ſibi proprios, ex quibus velut ex teſſera innoteſcant, & cum alijs non confundantur.

Non videri vllum ſenatorem, aut maiorem Magiſtratum fuiſſe Chriſtianum ante tempora Conſtantini. Cap. XXXXVIIJ.

VEriſimile admodum eſt, nullum ſenatorem, magiſtratumq; præſertim maiorem fuiſſe Chriſtianum ante tempora Conſtantini. Nam dignitas, & poteſtas eiuſmodi non poterat non eſſe coniuncta cum idololatria, vt diſputat Tertullianus lib. de Idololat. cap. 17.& 18. quod ſi aliquis ex eiuſmodi ordine ſuſcepiſſet religionem Chriſtanam, abdicâſſet ſeſe magiſtratu, quem exercere non poterat abſq; idololatria. Non legimus autem in hiſtoria Eccleſiaſtica quemquam ſic ſe geſſiſſe. Inde videmur poſſe colligere nullum hominem Senatorij ordinis, aut ex maioribus magiſtratibus fuiſſe Chriſtianum. Res profectò, quæ ad dignitatem religionis Chriſtianæ valdè feciſſet, non omiſſa fuiſſet à Chriſtianis Scriptoribus. fortè dices talē dignitatem non fuiſſe neceſſario coniunctam cum Idololatria. licet enim Tertullianus ipſa inſignia magiſtratuum enumeret pompis diaboli, & idololatrię, id tamen non videtur eſſe affirmandum. Cur enim quis non poteſt gerere quę magiſtratuum ſunt, dūmodo non colat deos? negare tamen nō poſſumus valde fuiſſe difficile in tali faſtigio vitare Idololatriam, vt propterea putem, ſi quis ſuſcepiſ-

ſet religionem Chriſtianam, quòd ab huiuſmodi faſtigio deſcendiſſet ad humilitatem Chriſto dignam.

Fuiſſe quoſdam ſenatores Chriſtianos ante tempora Conſtantini. Cap. xljx.

ET ſi ſigillatim in hiſtoria Eccleſiaſtica non recenſeantur, quod ſciam, ſenatores, qui Chriſtiani fuerint, pronuntiare tamen licet aliquos ex eiuſmodi ordine fuiſſe Chriſtianos. nam Tertull. lib. ad Scapulam cap. 4. *Clariſſimas fæminas, clariſſ. mos viros Seuerus ſciens huius ſectę eſſe, nō modo non læſit, verum & teſtimonio exornauit, & populo furenti palam in os reſtitit.* Dices, Senatores non potuiſſe vitare Idolatriam. nam in Curia fiebat res ſacra Victoriæ, & apud ipſius aram iurabat Senatus in verba Imperatoris, teſte Symăch. in epiſ. ad Valentin. An clariſſimi viri, quorũ meminit Tertull. Idololatriæ labe polluebantur? niſi dicamus eos abſtinuiſſe Senatu; vix video, qua ratione potuerint euadere Idololatriæ notam. aut aſſeramus Seuerũ ipſis indulſiſſe ne iurarent ad aram Victorię, aut etiam affirmemus iuraſſe ipſos in verba Imperatoris abſq; eo, quod tangerent aram. Tertullianus tantum refert Seuerum nullum faceſſiuiſſe negotium. ſane fæminæ clariſſimæ longè melius ſuæ pietati, & religioni poterant conſulere, cum neceſſe non foret publica ab ipſis obiri munera.

Veteres Christianos existimaſſe miſſam eſſe faciendam philoſophiam. Cap. I.

ANtiqui Chriſtiani non exiſtimabant bene conuenire Philoſophiæ, & Philoſophorum ſententijs, cum fide & dogmatibus Chriſtianis. Sanè S. Paulus videtur Philoſophiam ſubmouere, dum inquit: *vbi ſcrutator huius ſeculi?* quis eſt ſcrutator ſeculi niſi phyſicus? Col. 2. inquit: Nemo vos decipiat per Philoſophiam, & inanem deceptionem. vides Philoſophiam apud Apoſtolum nihil aliud eſſe, quam inanem deceptionem. ſimplices & rudes homines primi ſunt amplexi Religionẽ Chriſtianam. percurre memoria eos, qui à Philoſophia tranſiuerunt ad fidem, vix vnum atq; alterum reperies. prœſtò eſt Iuſtinus cum Pantæno. ſed non fuiſſe magnos Philoſophos, putandum eſt. Pantænus Catechiſta poſtea fuit, nullaq; ſcripta ad nos tranſmiſit. Iuſtini libri ſatis indicant non ſediſſe in primis ſubſellijs. qui aliquid ediderunt pro Religione chriſtiana Philoſophi nō fuerunt, non Clemens Alexandrinus, non Euſebius. fatemur Origenem fuiſſe magnum Philoſophum. at ſatius erat eum nunquam animum ad lectionem Philoſophorum appuliſſe. nam exitiales hæreſes ex Philoſophia intulit in Eccleſiam. dogma certè ſuum Arrius dicitur ex ſcriptis Origenis hauſiſſe obſtetricante Philoſophia. qua de re mihi nō pauca prolata ſunt in opuſculo de comparatione dogmatum Origenis cum Philoſo-

phia

phia Platonis. Tertullianus porrò non in loco oſtendit hæreſes excogitari ab ijs, qui Philoſophię dant operam, incipiuntq; de Religione Chriſtiana differere. de Hermogene hæc habet in libr. contra ipſum cap. 1. *à Chriſtiano conuerſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & porticum, inde ſumpſit à Stoicis Materiam cũ domino ponere, ex qua omnia poſtea fecerit*. vides, qua ratione in hęreſin ſe induerit Hermogenes, dum nempe non contentus ſacris litteris, & Apoſtolica ſimplicitate ad philoſophiam ſe confert, vt lectio Philoſophorum periculo non vacet. in lib. de Reſurr. carn. c. 1. indicat Philoſophos pulſare interdum veritatem, non adire. cap. 3 eiuſdem lib. *cum aiunt* (cum Seneca philoſopho) *poſt mortem omnia finiuntur etiam ipſa, tunc meminero ſapientiam ſaeculi, ſtultitiam pronunciatam. ſi hæreticus ad ſeculi ingenia confugerit, diſcede dicam ab Ethnico.* contr. Hermog. cap. 8. appellat *hæreticorum Patriarchas Philoſophos*. lib. 1. contr. Marcion. ca. 13. affirmat de *ſapientiæ profeſſorum ingenijs omnem hæreſin animari*. ait alibi Philoſophum eſſe glorię animal, vt intelligamus ambitioni, & famæ præcipuè velificari eos, qui Philoſophiam profitentur. ſuperbia porrò mater eſt hæreticorum. nam vt Philoſophi varia habent ſectarum nomina, quæ imponuntur à primis auctoribus opinionũ, ita & Hæretici ſic appellantur, vt affirmare fas ſit magnam eſſe ſimilitudinem inter Hæreticos, & Philoſophos. his igitur de cauſis antiqui Chriſtiani putabant miſſam eſſe faciendam Philoſophiam.

Quoſdam apud veteres Chriſtianos ſolitos confiteri ſua peccata antequam baptizarentur. Cap. lj.

MIrum eſt narrare Tertullianũ lib. de Bapt. cap. 20. oportere ingreſſuros Baptiſmum orare, *cum confeſſione omnium retro delictorum*. idq; confirmat exemplo eorum, qui tincti ſunt à S. Iohanne. quod tamen repugnare videtur diſcrimini, quod eſt inter pœnitentiam, & Baptiſmum. nam Baptiſmus ſua vi delet peccata, neq; indiget vlla cõfeſſione, aut ſatisfactione. Quid reſpondendum, vt nodo huic Tertullianeo occurramus? dico, non fuiſſe neceſſe confiteri ſua peccata ante Baptiſmum. Si tamen id fiat, augebitur pietas. non neceſſaria, cæteroqui bona non nocent. Non neceſſe certè fuit, eos, qui baptizabantur à Iohanne confiteri ſua delicta, cum nullum extaret in veteri lege præceptum, quo quis iuberetur ſingillatim ſua confiteri peccata, aut etiam tingi. Ita & apud veteres Chriſtianos aliqui ingreſſuri baptiſmum confitebantur peccata, ſatisfaciebantq; id tamen potuiſſet omitti, nullusq; dubito à multis id omiſſum. nam in Eccleſia Catholica neceſſaria non eſt confeſſio peccatorum, niſi quatenus abſolutio conferenda eſt à Sacerdote tanquam Iudice. Quis autem neſcit Sacerdotem abſoluere non ſolere à peccatis ante Baptiſmũ? etenim hoc foret turbare ordinem

dinem ſacramentorum, & pœnitentiam præmittere baptiſmo. lege baptiſmum Conſtantini apud Euſeb. lib. 4 de vita ipſius; Theodoſij apud Socraté. de confeſſione peccatorum nihil leges. Quod igitur ait Tertullianus quoſdam confeſſos ſua delicta ante Baptiſmum, id ſic intelligendum, vt dicamus confeſſos fuiſſe non vt abſoluerentur à Sacerdote, ſed potius, vt hac ratione animi ſui demiſſionem oſtenderent, docerentq; ſibi admodum diſplicere vitam præterito tempore traductã. Non enim vt abſoluerentur à S. Iohanne confeſſi ſunt ſua delicta, qui baptizabantur. ſic explicandum etiam eſt quod addit Tertullianus de ſatisfactione, cum non ſatisfacerent de priſtinis, quaſi ſatisfactio impoſita fuiſſet à Sacerdote, ſed ſponte, liberaque animi ſententia ſeipſos ieiunijs, geniculationibus, alijſque vexarent.

Priuatimne in aurem Presbyteris recenſerent Chriſtiani ſua peccata, an palam in Eccleſia? Cap lij

EXomologeſin Tertullianus vocat quaſi ſecundam pœnitentiam. cap. 9. de pœniten. *Huius igitur*, inquit, *pœnitentię ſecundæ, & vnius.* ſi vna eſt cur vocatur ſecunda? vna eſt, quia cum dolore coniungitur, vt vnnm efficiatur. Neque enim alia eſt pœnitentia, quæ intus dolet, & foris fatetur & ſatisfacit. dicitur tamen ſecunda, quia aliquid addit inter-

interno dolori, & exit in externos actus. hinc ait, *Non ſolam conſcientiam praeferri, ſed aliquo etiam actu adminiſtrari*. is actus exomologeſis appellatur, qua *delictum domino confitemur, vt ſatisfactio confeſſione diſponatur*. Sed quæ fatebantur peccata? vtinam clarius de Confeſſione ſcripſiſſet Tertullianus. opus non fuit graphicè deſcribere, quod quotidie ante oculos Chriſtianorum verſabatur. non diſertè dicit in aurem presbyteri dixiſſe peccata. hoc diſcimus ſolitos euulgare, quæ alios latebant. ſi affirmes videri detexiſſe omnia delicta coram tota multitudine. inquit enim Tertull. cap. x. *Pleroſq; tamen hoc opus vt publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de diem in die differre præſumo*. ait potuiſſe vnumquemque liberè dicere, qua in re peccáſſet, cum fratres dolerent potius, quam irriderent. *inter fratres atq; conſeruos, vbi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communis ſpiritus de communi domino, & patre) quid tuos aliud, quam te opinaris? quid conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis?* ſi tantum in aurem dixiſſent Sacerdotibus peccata, cur erubuiſſent ob multitudinem? adde locum ex libro de Baptiſmo, quem alibi expendo, qui docere videtur quoſdam ſolitos confiteri etiam ante Baptiſmum, ſed priuatim, vt oſtendat exomologeſin pœnitentiæ cum publica confeſſione delictorum coniunctã fuiſſe. Non adeò tamen clara ſunt verba Tertulliani, vt omnem tollant obſcuritatem. Quod ſi tunc, quando Chriſtiani pauci erant, & valde addicti ſanctitati morum, viguit mos in Eccleſia palam peccata dicẽdi, par fuit, vt aucta Religione, totoq; Imperio Romano

nano amplexo pietatem, in aures tantum ſacerdotum dicerentur peccata, ne in tanta multitudine hominum periculum pararetur confitenti. nam non multum referre videtur ſiue publicè, ſiue priuatim te fante innoteſcant ſacerdoti delicta; innoteſcere autem neceſſe eſt, vt ſatisfactioni ſit locus, vtq; Sacerdos tanquam Iudex perfectum poſſit inſtituere iudicium. Quicquid autem ſit de Tertulliani verbis in quibus tantum de exomologeſi publica agere videtur, ſuſcipiendum illud nobis, quod tradunt viri graues antiquitatis Eccleſiaſticæ periti, dum aiunt duplicem in vſu fuiſſe tunc exomologeſin, vnam publicam, alteram priuatam. aucto porrò Chriſtianorum numero fuiſſe tandem omiſſam publicam, ſola priuata retenta quod hic moneo, velim etiam ad cap. xljv. in ſalebr. Tertullian. referri.

Chriſtianos non euulgaſſe myſteria Religionis. Cap. liij.

QVid ageretur in cætibus nocturnis Chriſtianorum, ſigillatim enarrare eis apud Gentiles non licebat; nam myſteria ſilentium poſcunt. perpende Tertulliani diſſertationem in Apolog. cap 7. cum enim Gentiles infandorum ſcelerum poſtularent Chriſtianos, defenſor negat quicquam vnquam de ipſis proditum fuiſſe, quod reſpondeat rumori præter fas iuſque ſparſo. ſi id detectum, à quo? non ab ipſis Chriſtianis, quia arcana ſuæ religionis non euulgant. En tibi ver-

ba Tertulliani. *Imò à quibus prodi potuit? ab ipſis enim reis non vtiq; ; cum vel ex forma omnibus myſterijs ſilentij fides debeatur. Samothracia, & Eleuſinia reticentur, quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animaduerſionem prouocabunt, dum diuina ſeruatur.* Sed inquies: ipſe Tertullianus, quid in cœtibus illis ageretur, deſcribit in hoc ipſo Apologetico. cur reticendum foret, quod monumentis litterarum traditur? Reſpondere eſt, ſcriptorem Afrum ſic nonnulla deſcribere, quatenus defenſionem parant, vt tamen totum myſterium non explicet. Aliqua ſanè dicenda erant, ſi commendare volebat Religionem, vt ſanctam, vt ſalutarem humano generi, vt nullo fœdatam crimine.

Cur totum myſterium Euchariſtiæ euulgauerit Gentilibus Iuſtinus Martyr in Apologia.

Cap. Ijv.

QVod diximus, conſueuiſſe Chriſtianos ſilentium ſeruare, neq; euulgare, quæ fierent in cœtu, id confutari poſſe videtur ex ijs, quæ Iuſtinus Martyr in 2. Apologia contra Gentes habet, ibi enim diſertis verbis exponit, quid ſit Euchariſtia, cum paucis verbis de Baptiſmo egiſſet. mentionem facit panis, & calicis aqua diluti. ſubijcit: *non enim vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc ſumimus, ſed per verbum precationis, & gratiarum actionis ſacratam ab ipſo alimoniam, quæ mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinē illius in-*

carnati Ieſu carnem & ſanguinẽ eſſe didicimus: nã Apoſtol in ſuis ſcriptis, quæ vocantur Euangelia ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt, acceptoq; gratijs dixiſſe: Hoc eſt corpus meum. vide plura ibidem. quid verò clarius his fieri poteſt? oblatam defenſionem Imperatori nouimus. ſic venit in manus Gentilium detecto toto arcano, literiſq;, quæ ab omnibus legi poterant, mandato. ſi verò Iuſtinus Martyr non dubitauit vniuerſum exponere myſterium, nihilq; ſubtrahere cognitioni Nationum eorum, quæ Chriſtianam Religionem complectuntur, cogimur mirari Antiſtitum non paucos, qui floruerunt poſt tempora Conſtantini, quando omnia plena erant Chriſti cultoribus, diligenter cauiſſe, ne coram Cathechumenis ediſſereretur Euchariſtiæ ſecretum. verba ipſorum ab alijs annotata proſtant, neq; quemquam eruditorum latent. Nonne Catechumini, & quicumq; alij adhuc ſegreges à Chriſto poterant Iuſtini legere Apologiam? Reſpondere nihil aliud poſſum, quam exiſtimáſſe Iuſtinum operæpretiũ eſſe, totum deſcribere arcanũ, ne deinceps Gentiles mendacia in vulgus ſpargerent de concubitu. Etſi verò defenſio tradita fuerit Cæſaribus, nõ ideò promiſcuè ab omnibus lecta eſt. exiſtimo etiam dediſſe operam Epiſcopos, ne cum cum quouis communicaretur. nam Sacerdotes omnes eam potuiſſe verſare quis dubitet? hinc forte etiam intelligimus, cur quaſi ignota latuerint opera S. Dionyſij Areopagitæ. liber nempe ille clariſſimis verbis enarrat abſcondita quæq; capita pietatis noſtræ.

De Antelucanis Chriſtianorum cœtibus.
Cap. Iv.

ANtelucanos cœtus Chriſtanorum memorat Plinius Iunior, recenſet Tertullianus in Apologetico. quò referendum, quod eſt apud eundem, lib. 2. ad vxorem cap. 4. *Quis nocturnis conuocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo adimi* (vxorem) *ferat?* Sermo eſt de marito Gentili habente vxorem Chriſtianam. cur verò ante diem conueniebunt Chriſtiani ad pietatem Religioſam exercendam? vt laterent, vt perſecutionis procellam vitarent. nam ſi fuiſſent viſi interdiu cœtus agere, iuſſu Pręſidum quamprimum turbatus fuiſſet cōuentus. Neq; enim leges Romanæ permittebant homines numero multos colligi, ne Reſpublica in diſcrimen daretur, & ſeditioſa inirentur conſilia. Etiam poſt tempora Coſtantini depulſo periculo, dataque libertate Chriſtianis, antelucani cœtus non ſunt ſublati. certè Theodoricus Rex Gothorum dicitur à Sidonio Apollinari, ſuorum (Arrianorum) antelucanos frequentáſſe cœtus. hos ego puto tunc fuiſſe communes Catholicis atq; Arrianis. exiſtimo, inquam, Catholicos quoq; ante diem religionis cauſa conueniſſe. Antelucanum ſanè tempus aptiſſimum eſt precibus, rei ſacræ. cum coniunctum ſit magna cum quiete. diurna negotia auocant mortales à templis, ipſæq; ædes ſacræ interdiu obnoxiæ ſunt turbido plebis concurſui, his ingredientibus, alijs abeuntibus, nonnullis ſtantibus, atq; etiam garrientibus.

An-

An Chriſtiani haberent ea, quæ ſunt imperij? An excommunicatio ſit actus Imperij?
Cap. lvj.

AN ea quæ ſunt Imperij habebant Chriſtiani ante tempora Conſtantini? id negaueris, ſi cogites imperium duplex cum ſit merum, & miſtum, illud eſſe, quo animaduertitur in facinoroſos homines gladio. hoc habere coniũctam iuriſdictonem, quę in danda poſſeſſione bonorum exercetur ff. *De iuriſdict. l. imperium* 3. Tantum vero abeſt, vt Chriſtiani exercerent capitalia iudicia, vt Tertullianus lib. de idololatria cap. 19. viſus fuerit putare, ne quidem Chriſtiano fas eſſe exercere capitalia iudicia. Verum contra hanc obſeruationem proferuntur verba eius de Tertull. in Apolog. cap. 38. *ibidem* (in cætu Chriſtianorum.) *etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſuræ. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei cõſpectu, ſummumq; futuri Iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.* Iudicabant Chriſtiani delinquentes, relegabant à commercio. Nonne hoc coërcere eſt, pœnaq; inflicta exercere imperium? dum profecto Vlpianus ff. de Iuriſdic. l. 3. animaduerſionis in facinoroſos meminit, complectitur quamcumq; grauem pænam. excommunicatio igitur, quæ in vſu erat apud vete-

veteres, videbatur eſſe actus imperij. Atq; Canonum interpretes aſſerunt imperium exerceri ab Epiſcopo, quando excommunicat. reſpondere eſt, ſi Ius Ciuile conſulatur, excommunicationem nequaquam eſſe Imperij, cum ius Ciuile talem pœnam ignoret. nam ſub tit. de pænis nulla fit excommunicationis mentio. ſic profectò Chriſtiani deſtituebantur gladio, qui adhibet vim, iubet colligari manus, habet lictores, carcerem, vincula, tormenta, quæſtiones. Quæ omnia tempore Tertulliani penes Gentiles Imperatorem, Præfectos, Prȩſides, Proconſules, Tribunos, aliosq; erant. ſimilitudine autem quadam vtitur vocabulo Iudicij, relegationis. ſumma porrò pȩna erat communione ſacrorum ſubmouere. ſiquis autē noluiſſet parere, poterat etiā pro lubitu tranſire ad Gentiles. nam vlterius in ipſum animaduertere non poterant. Quod ſi vi adhibita voluiſſet Eccleſiam ingredi, vexareq; reliquos, aut omnia tolleranda fuiſſent, aut confugere oportebat ad Magiſtratus, querelaq; erat inſtituenda de vi, vel priuata, vel publica. Ita oſtendere erat, penes quem eſſet gladius, & Imperium. Interpretes autem ſacrorum aiunt duos eſſe gladios, ſpiritualem vnum, temporalem alterum (cogor cum ipſis loqui) excommunicationem dicunt eſſe actum Imperij, & gladij ſpiritualis. Ante omnes Imperium præcipuè tribuitur ſummo Pontifici, & deinceps etiam alijs; olim tamen Chriſtiani abſtinuerunt ab eiuſmodi vocabulo, ne viderentur ſibi ea, quæ magiſtratuum erant, vindicare.

Anti-

Antiquos Chriſtianos ſolitos impendere pretioſos odores ſepeliendis corporibus. vnde is mos ſumptus? Cap. lvij.

INfructuoſos eſſe querebantur Chriſtianos Ethnici. Tertullianus, vt hoc confutet in Apolog. cap. 42. inquit, *thura planè non emimus, ſi Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris, et carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam dijs fumigandis.* Hinc diſcimus, quod profectò ſingulare eſt, Chriſtianos, & ſi non impendebant thura dijs fumigādis, aut iactabant Arabicos odores in ignem (neq; enim comburebant cadauera) ſaltem non ſolitos mandare corpora terræ abſq; odoribus. an hoc ſumptum à Gentilibus? nam cineribus, & reliquijs admiſcebant odores, ſi verum eſt, quod legitur apud Perſium, de quodam hærede auaro nolente impendere ſumptus odoribus.

Oſſa inodora dabis.

puto morem Chriſtianorum conflatum ex hebraicis, Romaniſq; inſtitutis, non ſine imitatione Ægyptiorum. nam quod cadauera non comburebāt, ſed ſepelliebant, hoc à Iudęis petitum erat; cum Abraham, cæteriq; legantur cadauera ſepeliſſe. quod verò ijdem Chriſtiani pretioſis odoribus, & merce ſabęa condiebant corpora; in hoc imitari videbantur Ægyptios, atq; etiam Romanos. de Ægyptijs peruulgatum eſt, quod ſolerent condire corpora. Hodie etiam eiuſmodi corpora

medi-

medicata ſuperſunt in Ægypto poſt tot ſeculorum ſpatium. qui tamen modus non fuit omninò vſitatus apud Chriſtianos. Neq; enim corpora antiquorum Chriſtianorum ad nos peruenerunt medicata, vt cadauera apud Ægyptios. in eo videre magis eſt morem Romanorũ, qui cineres impoſitos vrnis inodoros eſſe non ſinebant. Forte verba Perſij expones de ijs odoribus, qui iniiciebuntur igni, quando cadauera comburebantur. Tunc dicam è Chriſtianis impenſos fuiſſe corporibus ſepeliẽdis odores, quos igni inijciebant Gentiles, quando corpora conturebantur. Mirari verò eſt, aſſerere Tertullianum Sabæorum merces profligari à Chriſtianis ſepeliendis corporibus, cum valde pauperes eſſent, lubenterq; ſumptus facerẽt in colendis pauperibus. qua de re legendus eſt ipſe Tertullianus. videbatur etiam eiuſmodi mos olere ſuperſtitionem. Certè poſtquam Chriſtiani vniuerſum orbem imbuerunt ſua fide facti diuites, & totius Imperij compotes; id non obſeruárunt.

Qua ratione Chriſtiani abſq; periculo Idololatria inierint nuptias? Cap. lviij.

INnumeri erant in Imperio Romano, qui ciues Romani cum non eſſent, ſed viuerent ſecundum morẽ ſuę ciuitatis abſq; ritu Romano, nuptias inibant. ſic procul erant, vt puto, a periculo Idololatriæ. Adde potuiſſe iniri nuptias vſu. nam quæ detenta fuiſſet per annum

in domo fiebat vxor abſq; vllo ritu. quis enim neſcit tutoribus auctoribus mulierem in matrimonium conueniſſe, & cum viro ita conſueuiſſe, vt cum iuſto marito, adeò vt ſi vſus ille intra annum nõ interrumperetur, pro vſu capta iam haberetur, qua de re videnda ſunt, quæ Gellius refert ex xij. tab. ſed, inquies, ſaltem in nuptijs conferreatis ſacrificium peragebatur, teſte Vlpiano tit. 9. Inſtit. reſponderim, conferreationem tandem aut omninò omiſſam fuiſſe, aut inter paucos admodum retentam.

An in ritu nuptiarum iuxta morem Romanorum committeretur Idololatria?

Cap. ljx.

PVellæ Chriſtianæ quandoq; nubebant viris Gentilibus, vt iam docuimus ex Tertulliano. Hinc diſcere eſt eas deductas fuiſſe ritu Romanò domum mariti. nũ id poterat fieri abſq; eo, quod Idololatria polluerẽtur? captabãtur auſpicia, & obſeruabãtur dies, faces præferebantur in honorem Cereris, ſingulis ceremonijs adhibebantur ſinguli dij, corona imponebatur capiti ſponſæ. hæc omnia nonne Idololatriam redolebant? reſpondeo, affirmoq; ritum nuptialem non impegiſſe notam Idololatriæ. nam quando Tertullianus in lib. 2. ad vxorem, ſuadet, ne puella Chriſtiana nubat Gentili, de Idololatria coniuncta cum ritu nuptiali verbum non profert, non id omiſſurus, ſi exiſtimaſſet mulierem Chri-

ſtianam non poſſe vitare labem idololatriæ, cum deduceretur in ædes mariti. Corona profectò ad idololatriam non facit. Etſi enim Chriſtiani non vterentur coronis, teſte eodem Tertulliano de corona in principio, non deerant tamen plurimi, qui exiſtimabant, in militia ſibi fas eſſe laureⅾam deferre capite, vt ibidem Tertullianus teſtatur. faces noctis cauſa adhibebantur. de Dijs, quod refert S. Auguſtinus, eſt intelligendum potius de cogitatione nonnullorum putantium deos præeſſe cæremonijs. captauerit verò auſpicia maritus, hoc nihil ad ſponſam faciebat. ipſa enim non priùs erat deducenda, quam nuberet ſponſo.

Chriſtianos ſolitos in Eccleſia nuptias contrahere Cap. lx.

QVæro, an Chriſtiani, quando ducebant vxorem ſolerent ritum adhibere, qui moribus Romanorum receptus erat? Vix putauerim. nam alterius modi, quo inibantur nuptiæ inter Chriſtianos, meminit Tertull. lib. 2. ad vx. cap. 8. *vnde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio*. Vides cõueniſſe in Eccleſia, & inter oblationem cum benedictione Sacerdotis in nuptias conſenſiſſe. vides antiquiſſimum eſſe morem contrahendi nuptias in Eccleſia coram Sacerdote. hinc colligere eſt, videri Chriſtianos exiſtimáſſe non eſſe neceſſe, vt ſint nuptiæ, deduci

in domum mariti, nam conſentiebant in Eccleſia. conſenſus autem nuptias facit l. nuptias ff. de regul. iur. puto etiam omiſsum ritum Romanum, cum par non eſſet, vt iterum conſentirent illi, qui iam conſenſerant in Eccleſia. Romanos verò, cum non ingrederentur templum ineuntes nuptias (exceptis fortè nuptijs per confarreationem) neceſſe erat vti ritu, deducereq; ſponſam, vt in ingreſſu ædium conſentirent.

Quandoq; puellas Chriſtianas nupſiſſe Gentilibus. Cap: lxj:

PVellas Chriſtianas quandoque nupſiſse Gentilibus fatetur Tertullianus lib. 2 ad vxorem cap. 2. *cum quædam iſtis diebus nuptias ſuas de Eccleſia tolleret, ac Gentili coniungeretur, idq; ab alijs retro factum recordarer.* non defuit, qui tunc diceret peccare, quæ nuberent Gentilibus, ſed peccato minimo ſe reddere obnoxias. inquit enim Tertull. cap. 4. *Quid ſibi voluit ille, qui dixit, delictum quidem eſſe extraneo nubere, ſed minimum.* ipſe affirmat eſſe grande. ſed quęro num putarent eſſe nuptias, quæ inibantur à Chriſtiana cum Gentili? ex ijs, quæ diſputat Tertullianus non apparet exiſtimaſſe non eſſe nuptias. & certè graue fuiſſet asſerere eiuſmodi puellas Chriſtianas, quæ nupſerant Gentilibus, aut eſse concubinas eorum, aut ſtupri cõſuetudinem inter ipſos vigere. adde nuptias illas eſse, quæ ſecundum leges ineuntur. nulla autem lex vetabat Chriſtianam puellam nubere Gentili.

Non admodum fauiſſe Chriſtianos ſecundis nuptijs, etſi eas non damnarent. Cap Lxij,

NOn damnabant antiqui Chriſtiani ſecundas nuptias, tamen aliquid detrahebant ijs, qui eiuſmodi nuptias iniuerant. nam ab Epiſcopatu, & ordinibus ſacris excludebant eum, qui per ſucceſſionem duas duxiſſet vxores. minus nempe videbatur eſſe caſtus, qui mortua prima vxore duxiſſet ſecundam. adde etiam fœminas viduas, quæ non eſſent vniuiræ, excluſas fuiſſe ex ordine ſedendi inter viduas, quibus ſtipendium largiebatur Eccleſia. verba ſunt D. Pauli 1. Tim. 1. vbi Theophil. ſcribit. *vnius viri vxorem depoſcit, & tanquã in eius caſtitatis, & continentiæ argumentum.* ſed Theodoreti interpretatio videtur vacillare, inquit enim: *non reijcit ſeundas nuptias, ſed decernit, vt in matrimonio caſtè viuant.* Quaſi dicat Paulus, velle ſe eligi eas viduas quę caſte vixerint, ſeu nupſerint vni viro, ſiuè duobus. ſubijcit: *Neque enim, qui ſecundum matrimonium lege ſæpius conſtituit, prohibuit, vt quę ſecundas ſit ſecuta nuptias non aſſequatur corporale ſubſidium. quin apertè pręcipit, vt bonũ faciamus omnibus hominibus.* Non ſtatim damnat ſecundas nuptias, qui ab aliquo munere excludit eam, quæ bis nupſit. quo tribuatur ſubſidium requirit, vt ſemel tãtum nupſerit. hoc non eſt damnare ſecundas nuptias. ſic lex papia dimidiam hæreditatem adimebat ei, qui

non

non habebat tres liberos, non propterea damnabat quemquam, &ſi tres non haberet liberos.

An apud Chriſtianos locus eſſet veris repudijs? Cap. lxiij.

IVxta morem Romanorum videntur facta repudia apud antiquos Chriſtianos. repudium autem vocamus, quod ſic ſoluebat coniungium, vt ad alias tranſiretur nuptias. En tibi Concil. Eliberit. Can. 8. *Fœminæ, quæ nulla præcedente cauſa reliquerint viros ſuos, & ſe copulauerint alteris, nec in fine accipiant communionem*. Vides plecti eas, quæ diſcedebant à maritis, alijſq; nubebant abſq; cauſa. à contrario ſenſu intulerit aliquis eas, quæ iuſta, legibuſq; conſentenea cauſa diſcedebant à maritis, nulla affectas pœna. Quis enim neſcit legibus Romanorum licuiſſe iuſta de cauſa ſoluere coniugium, aliaſq; inire nuptias? ſed lex Euangelica id non fert. hinc non deſunt, qui dicant grauiſſima pœna exceptas à Cõcilio eas, quæ nulla præcedente cauſa viros deſerebant, aliorumq; coniuges fiebant: punitas tamen, licet leuius illas quoque, quæ præcedente cauſa digreſſæ à maritis alijs nupſiſſent. Sunt qui affirment Canonem hunc cum ſequentibus eſſe obſcuriſſimum. ego vero vix animaduerto, qua in re tanta ſita ſit obſcuritas.

Digitized by Google

Videri ſentire Tertullianum, non putaſſe Chriſtianos fore, vt aliquando Imperatores amplecterentur religionem Chriſtianam. Cap. lxjv.

NVnquam putaſſent Chriſtiani ante tempora Cōſtantini fore aliquādo, vt ipſi Imperatores amplecterentur religionem Chriſtianam. videbant enim eumdem futurum finem Imperij Romani, & mundi, quem etiam exiſtimabant non procul abeſſe. Apud Iuſtinum in Apolog. 2. hęc leguntur. *Vos uerò dum auditis nos regnum expectare, temere de humano ſuſpicamini, cum nos de Regno Dei loquamur; nam ſi humanum regnum expectaremus, negaremus, vt euaderemus, & conaremur fallere, vt expectato potiremur.* Tertullianus ad Scapulam cap. 2. inquit. *Chriſtianus neceſſe eſt Imperatorem ſaluum velit, cum toto Romano Imperio, quouſq; ſeculum ſtabit, tam diu enim ſtabit.* Vides eum dicere tamdiu ſtaturum ſeculum, quam diu ſtabit Imperium Romanum. in Apolog. cap. 32. ſic loquitur. *Eſt & alia maior neceſſitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni ſtatu Imperij, rebuſq; Romanis, qui vim maximam vniuerſo orbi imminentem, ipſamq; clauſulam ſeculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu ſcimus retardari; itaq; nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.* Non deſunt qui dicant, imperium Ro-

ma-

manun concidiſſe, cum tamen ſecu lum ſtet. qui cogun-tur fateri Chriſtianos illos in eiuſmodi opinione deceptos fuiſse.

De votis Chriſtianorum, quæ videbantur inter ſe pugnare. Cap. lxv.

VOta Chriſtianorum ante tempora Conſtantini, videntur inter ſe pugnaſſe. hinc enim precabantur pro diuturnitate Romani Imperij, cum putarent idem fere fore exitium, & mundi, & Imperij Romani. Tertull. in Apolog. cap. 32. *Acerbitates horrendas Romana Imperij commeatu ſcimus retardari: itaq; nolumus experiri, & dum precamur differri.* Illinc expectabant aduentum Chriſti, vt eſt in Epiſtola Pauli ad Timotheum, & pręcipue in Apocalypſi cap. 22. *Et Spiritus, & ſponſa dicunt, veni, & qui audit, dicat veni. veni domine Ieſu.* & cur cogitaſsent de diuturnitate Romana, ſi dicit Chriſtus ibidem: *Tempus prope eſt, ecce venio citò, etiam venio cito.* Dum nempè vitam æternam præ oculis habebant, optabant quam primum aduenire Chriſtum. ſic animæ ſub altari, aiebant. *Quouſq; non iudicas ſanguinem Sanctorum tuorum.* Rurſus, cum perpenderent, qualis clades eſſet exceptura orbem, precabantur pro diuturnitate Imperij Romani. ne dicam Tertullianum, dum alloquitur Gentes, lubenter proferre ea, quæ videt ipſis poſſe placere, ipſorumq; beneuolentiam mereri.

Ad. R. P. Io: Donatus de Antella Dominicanus videat,ſi in hoc opere contineatur pietati Chriſtianæ, boniſue moribus aduerſum & referat. D. die 27. Auguſti 1639.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Opuſculum hoc de vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini, eruditiſſimi viri, & doctiſſimi Theologi D. Paganini Gaudentij, in Vniuerſitate Piſarum eloquentiam profitentis, iuſſu perilluſtris & Reuerendiſſimi D. D. Vincentij Rabattæ Vicarij Florentini, ſedula, qua potui diligentia euolui, nihilq; in eo offendi Catholicæ fidei, aut bonis moribus aduerſum, Imo cum ſit ſana doctrina variaq; eruditione refertum, vt typis mandetur illud digniſſimum iudico. Datum in Conuentu Sanctæ Mariæ Nouellæ de Florentia die 30. Auguſti 1639.

Fr. Io. Donatus Antellenſis Sac. Theol. Magiſt. In Vniuerſ. Piſ. Metaph. profeſſor, & Conſ. S. Off.

Attenta præſenti relatione Imprimatur hoc opuſculum ſeruatis ſeruari ſolitis. D. die 1. Septemb. 1639.

Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Ad. R. P. Mag. Alexander Perius Ord. Min. Con. in Vniuerſitate Piſana Theologus publicus videat an in hoc opere aliquid contineatur, quod S. Indicis Regulis ſit diſſonum, & referat. Flor. 4. Sept. 1639.

Fr. Ioannes Muzzarellius Inquiſ. Gen. Flor.

Opus inſcriptum de Chriſtianorum vita ante Conſtantini tempora ab Excellentiſſimo, atque eruditiſs. viro D. Paganino Gaudentio in vniuerſitate Piſana eloquentiæ Profeſſore de mandato Reuerendiſs. Patris Inquiſitoris perlegi, nihilq; in eo reperi, quod S. Indicis regulis, Chriſtianæq; fidei præceptis aduerſetur, quin potius, cum plurimam redoleat eruditionem, vt prælo excudatur dignum cenſeo.

F. Alexander Perius Flor. in Vniuerſit. Piſ. Theol.

Imprimatur Florentiæ 9. Septembris 1639.

F. Io. qui ſupra Inquiſ. Gener.

Alexander Victorius Senator.

EXCVRSVS EPIGRAMMATARIVS IN OPVSCVLVM

De comparatione Dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis.

De Origene ſe ipſum Eunuchum faciente.

Partem, qua vir erat, ſibi quondam percitus œſtro
Sæua viferri meſſuit Origenes.
Iupiter vt pereat, qui ferrum excudit acutum,
Et chalybem furuis eruit è latebris,
Si ſibi ferri acie vir, toto notus in orbe,
Eſt auſus partem demere, qua vir erat.

De eodem facinore.

D*Iſpulit Origenes Cybelem, reliquamque Deorum*
Turbam, quam coluit priſca ſuperſtitio.
Et tamen Eunuchum ferro ſe fecit acuto,
Ceu plenus Cybeles Numine Myſta foret.
In tantam pietas potis eſt impellere cladem,
Quando hominum ſenſus occupat abſq; modo.

Origenem errores hauſiſſe ex libris Platonis.

D*Vm vigil Origenes voluit monumenta Platonis,*
Socraticiq; colit grandia dicta gregis,
Ingenti elatus ſtudio, atq; incenſus amore,
Qui ſapè in præceps abripit ingenia;
Haud dubitat tenebris inuoluere dicta Tonantis,
Spargereq; in ſanctam tetra venena fidem.
Credite ſimplicibus, mortales, credite verbis,
Quæ Chriſtus turbæ fudit ab ore piæ:
Namq; ſupercilium ſophie dum ponere neſcit;
Æthereum perimit ſimplicitatis opus.

Origenem tandem à Quinta, & ſexta ſynodo fuiſſe damnatum.

ORigenis nomen ſtudia in contraria ſcindit
Ingentes homines, eximioſq; ſenes.
Pamphylus, Euſebius, dulci Chryſoſtomus ore
Audent pro magno bella ciere viro:
Aduolat impauidus Ruffinus, & vſq; moratur,
Haud dubitans lumen carpere Dalmatiæ.
Dalmata ſtat cõtra, calamumq; in prœlia trudit,
Quin turmam Origenis Cypria tela premunt.
Omnibus acceſſit Procerum generoſa caterua,
Iuſtinianei fulminis auſpicio.
Hi dicta vnanimes nigro carbone notarunt.
Quis deinceps auſit addier Origeni?
Non ſapit, aſt veri decedit tramite toto,
Quiſquis amat ſanctis Patribus obſtrepere.

De Iuſtiniano confutante Origenem.

IVſtinianeum nomen lacerare, decuſq;
Liuor iners rabidis dentibus haud dubitat.

Litterulas neſciſſe refert, caruiſſeq; rerum
Notitia, & doctæ Palladis auxilio.
Siccine liuor iners ignauum dicere gaudes
Cæſarem, & ignarum ſæpè vocare potes?
Ipſe ſagax, doctuſq; relegit iura Quiritum,
Et docuit, quicquid ſanxerat alma Themis.
Ille vetuſta Patrum potuit monumenta tueri
Scibendo, potuit compoſuiſſe libros
In caput Origenis, qui dogmata neſcia veri
Obtruſit Chriſti cœtibus innocuis.
Ergò ſile deinceps liuor furioſe, nec aude
Cæſareum rabido carpere dente decus.

De dogmate Platonis, atq; etiam Origenis putantium animas à Cœlo delabi in corpora.

NVm vitæ ciuilis amor deducere celſa
Vos, animæ, potis eſt conditione poli?
Quis furor, ò mentes, ſubit immortalia tecta?
Aetheris an Ciues tanta libido agitat.
Vt cupiant ſedem aſtrorum mutare beatam
Corporeis miſeræ ſordibus implicitæ?
Ite ſophi procul, & recutitæ obrepite turbæ,
Nam ſolers temnit talia monſtra fides.

De ſententia Origenis docentis ſolem cupere diſſolui.

Corporeis ſolui vinclis ſol diſcupit ipſe,
Credere monſtriloquo ſi licet Origeni.
O fidei labem, deflenda ò dogmatis auſa.
Anne queat ſolem tantum agitare nefas?
Solem, perpetuo qui curſu dirigit annos,
Atq; illibato lumine cuncta beat:
Exulet è niuea arcanum miſerabile charta,
Et linquat cœtus pulpita ſocratici.

De quodam argumento Pythagoræ euertere conantis Orcum.

Vitæ immortalis donatæ munere mentes
Si nequeuntq; pati, ſi nequeuntq; mori;
Pythagoreorum ſententia diſcutit Orcum,
Luridaq; euertit Tartara Pythagoras.
Nam ſi vera ferunt ſapientes, Iupiter olim,
Plecteret vt ſontes, Tartara condiderat.

Ergo

Ergo nequicquam furuus nos territat Orcus,
Si nequeunt animæ pendere ſupplicium:
Sed Plato ſtat contra, plectitq; Acheronte ſub imo,
Sub phlegetontæa ſede vetuſta mala.
Nāq; anima eſt olli haud omnino corporis expers,
Corporeum porrò plectier vſq; poteſt.
Sic Academiæ ſenior, præſeſq; verendus,
Vmbriferumq; ſophos talia dicta refert.
Chriſticolûm Doctor Thomas, magnuſq; magiſter,
Paulò aliter verum nos docuiſſe ſolet,
Id promunt Myſtæ, queis quis velit obuius ire,
Si præceptores inclyta ſceptra gerunt?

De opinione Platonis, & Origenis euertentium æternitatem beatitudinis in Cęlo, & ſuppliciorum apud inferos.

SI varijs, animæ, vicibus redeuntq; meantq;
In Cœlum, in terras, Tartareoſq; lacus,
Atq; iterum euadunt furuis è ſedibus Orci,
Vt repetant auras, ſtelliferaſq; domos,
Rurſus & incipiunt in terras velle reuerti.
Corporaq; implicitæ ſordibus induere:

Hæc

Nec Phlegethon pœnā eſt potis intentare perennē,
Nec Superi tribuunt lumen inocciduum.
His Academiæ dictis ſe iactat alumnus;
Hoc ſophos haud ſapiens arripit Origenes:
Quem iugulant Patres, pietatis ſidera, quondam
Congreſſi dextra Religionis aue.

Digitized by Google

EVAGATIO POETICA IN SALEBRAS TERTVLLIANEAS.

De Conſuetudine Maiorum non contemnenda.

MIſſum ab auis quiſquis potis eſt conuellere ritum,
Et violare, nouo more, vetuſta ſacra.
Mænadis inſtar, inops mentis per deuia fertur,
Et nuſquam recto tramite carpit iter;
Nam quis ſanus homo maiorum temnere iura,
Et propriam præceps auſit inire viam?

De vano Enthuſiaſmo Montani.

QVis, Montane, furor te per ſalebraſque, nouoſque,
Calles, à vero cogit abire procul?

Digitized by Google

Spiritus aſtrifero quondam demiſſus Olympo
Impleuit Chriſti numine diſcipulos.
Hi Cœli arcanis, Mundi impleuere theatrum,
Et tutam fidei diſſeruere viam.
Ergò pedem remoue ſancto, Montane, receſſu,
Nam quod nos doceas quid ſupereſſe queat?

De Pſeudoprophetiſſa Priſcilla.

TVn' Priſcilla, audes Fidei diſpungere puncta,
Tene nouamq; putas ſternere poſſe viam?
Baccha procul remoue greſſū, Mœnaſq; recede;
Sobria nam Chriſti reddere verba nequis.

Enochum docuiſſe adfore tandem ſupremam Iudicij diem.

SAnctus Enoch hominum ſceleroſa, atq; impia facta
Damnat, et increpitans territat vſq; reos.
Atq; ait: Atra dies aderit labentibus annis,
Adq; Acheronteas præcipitabit aquas,

Omnes, quos Themidos iuuit dediſcere ſcita,
Et pia Cœleſtis temnere iuſſa Patris,

Librum Enochi arriſiſſe Tertulliano. nunc ipſum ignorari.

SVbdolus an ſcriptor decepit nomine Enochi
Tertullum, chartas ſuppoſuitq; nothas?
Certarunt veteres, ſtudia in diuerſa diſerti,
Atq; aliqui dictis aſſeruere librum.
Nunc latet obſcurus, diuina excluſus ab Arca,
Perq; hominum fruſtrà nititur ire manus.
Tantum longa poteſt ſeries mutabilis æui,
Contempta vt iaceant, quæ placuere diù.

De Diſcipulis Chriſti oppugnantibus Nationes.

ERgò Romulidas Iudæa caterua refellit,
Et Moſe inferior diceris eſſe Numa?
Biſſex ergò homines totũ reprehendere Mundum,
Et priſcum poſſunt erudiiſſe ſophos?
Helladis haud dubitant penitùs cõuellere mores,
Irridere Deos, templaq; diruere,

Tollere de medio auſpicia, atq. oracula Phœbi
Temnere, nec deinceps thus adolere Ioui?
Pone ſupercilium quiſquis ridere paratus
Audes biſſenos carpere diſcipulos.
Ipſe Pater rerum Natum demittit ab æthra,
Qui veterem cultus iusſit abeſſe modum.
Obſtupuere omnes, cum tot miracula patrans
Naturam facili flecteret imperio;
Quò pia Relligio, & pietas generoſa vocaret,
Protinus vt rueret ſæua ſuperſtitio.

De Tertulliano aſſerente, notam propriam diuinitatis eſſe ingenitum, innatum, & infectum.

INgenitum, infectumque Deum diſcrimine nullo
Pasſim doctiloquus dicere Quintus amat.
Cur ita? nam quiſquis genitus procesſit in auras,
Et nouus emerſit, non fuit ante Patrem,
Nec ſummus fuit ergò Deus, ſed conditus olim
Eſt Deus, at factus, poſteriorq; Patre.
Hinc caruiſſe refert nato quandoq; parentem
Arrius, vt iactet ſe nouitate ſacra.

Sed

Sed ſcelus hoc cœtus Patrum, ſanctuſq; Senatus
Magni Oſij dextris ſuſtulit auſpicijs.
Vt procul à templis iubeatur abire Sophiſta,
Qui potuit priſcum deſeruiſſe ſophos.

De opinione Tertulliani, ſequeſtrantis omnem animam, apud inferos in diem Iudicij.

OMnem animam Quintus nigrum demittit ad Orcum;
Mentem omnem claudit carcere Tartareo,
Donec ſera dies veniat labentibus annis,
Humanumq; genus Iudicis vrna premat,
Vt ſontes deinceps ignis Phlegethonte ſub imo
Torqueat, innocuos ætheris aula bëet,
Sic ſentis Tertulle, tuo fauet Hellas honori,
Aſſerit & multo nomine dogma tuum.
Non ita Romulidûm loquitur ſacrata caterua,
Te Latius clarè reijcit ordo Patrum.

De Terra rudi, ex qua factus eſt Mundus.

AN Chaos eſſe putas terram turpemq; rudemque,
Natura infelix quæ meliore caret:
In qua non ignem reperis, non aera purum,
Non mare, non cœlum, ſidereaſq; faces?
Omne tamen nullo complectitur ordine corpus,
Omnigenoq; gerit ſemine materiam;
Si diuinæ Opifex accedat munere mentis,
Et refugis formas eruat è ſinubus;
Suſpexiſſe iuuat mundum, venerarier Orbem,
Orbem cæleſtis mirum opus ingenij.

ADDENDA
LIBRO,
DE VITA CHRISTIANOR.
Ante Tempor. Conſtant.

Expenduntur verba Origenis, quibus fatetur conuentus Chriſtianorum aduerſatos fuiſſe legi Romanæ. quotuplex eſſet genus conuentuum Chriſtianorum? Cap j.

ILLICITOS fuiſſe conuentus Chriſtianorum ante tempora Conſtantini pręter illa quæ deprompta ſunt cap. 30. de Vita Chriſtian. ante temp. Conſtant. oſtendunt verba Origenis oppugnantis Celſum Philoſophum lib. 1. *Ait* (Celſus) *præter Principum ſtatuta, & leges, conuentus quoſdam inter ſe Chriſtianos ſeorſim, & clam factitare*. dum reſpondet Origenes Celſo, non ait Principum leges fauere conuentibus Chriſtianorum, nec quicquam profert ex reſcriptis Imperatorum, aut Senatuſconſultis, ſed libere fatetur conuenire Chriſtianos contra legum ſanctionem, quas tamen leges Gentilium pro ſimulacris, & Deorum multitudine docet eſſe impias, nequaquam obſeruandas,

pro

Digitized by Google

pro *Scytharum inſtitutis*, habendas, vel *pro alia quauis, quæ Scythis ipſis impietate nō ſit inferior.* vt non dubitet aſſerere, fas eſſe conuentus facere pro veritate aduerſus huiuſmodi leges, quæ Tyrannidem Satanæ fouent, atq; promouent.

Sed obijces ex eodem Origene, dicesq; Celſum cōuentus Chriſtianorum diuidere, vt alij ſint aperti, & in propatulo, alij ſecus. illos fatetur *legibus permitti*. hos verò contendit eſſe contra Principum iura.

Reſpondendum puto, ſecundum leges Romanas nō licuiſſe abſq; Senatuſconſulto, & Principis iuſſu conuentus agere Religionis cauſa. Conuenire autem licebat conuiuij, aut alterius negotij ergò. docet Celſus conuentus Chriſtianorum Religionis gratia fuiſſe actos contra iura Principum. Sed ijdem Chriſtiani conueniebant quandoq; ad cœnam, aut alterius officij, vel negotij ergò. Id fiebat palàm, & legibus permittebatur. at de Religione acturi clam conferebant capita.

Dices, peccáſſe Chriſtianos, & meritò punitos fuiſſe, ſiquidem calcata legum publica ſanctitate cœtus agebant. Reſpondebit Origenes pro Chriſtianis, tantam eſſe habendam rationem veritatis, vt etiam aduerſus leges fas ſit conuenire, & vitam certiſſimę morti obijcere, tantum vt pareatur Religioni, quam Deus ipſe editis tot miraculis ſanciuit.

Cru

Cur, & quam anguſti fuerint limites Theologiæ ante Conſtantinum? qua ratione ſeſe deinceps extenderint? Cap. ij.

MIrabitur aliquis, cum tam latè pateant limites Theologiæ Chriſtianæ, ſcriptores vetuſtiſſimos, quiq; floruerunt ante Conſtantinum breui admodum ratione, non multiſq; effatis complecti præcipua capita Chriſtianę Religionis, ſummamq; myſteriorum, quæ tradita ſunt ab Apoſtolis. lege Iuſtinum, Tertullianum, & obſerua quam parci ſint, dum referunt, quid diuina Fide ſentiant Chriſtiani. Sed ſubſecuta ſecula tam multa definierunt, & addiderunt, vt ingentia volumina nunc noſtram complectantur Theologiam. Ei ergò, qui de Vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini agit, danda opera eſt, vt exponat incrementum dogmatum Catholicorum, quod tamen neſcio, an non offenſurum ſit aures noſtras. Nonne enim Chriſtus dixit Iohan. 16. cum Apoſtolos alloqueretur: *Paracletus quem mittam vobis à patre, vos deducet in omnem veritatem*. Nemo dubitat ſtetiſſe promiſſis Seruatorem, miſſoq; Spiritu ſancto ſic edocuiſſe Apoſtolos, vt ipſos rerum diuinarum, quod quidem ad Religionem perficiẽdam faceret, nihil prorſus lateret. quod porrò ſuggerente Paracleto didicerunt, id alijs Epiſcopis, & Preſ-

byteris tradiderunt. vt affirmare liceat, omne dogma, quo carere nequit Religio Chriſtiana, manaſſe ab Apoſtolis ad ſucceſſores, & deinceps fas ſit colligere, omne illud, quod non conſtat teſtantibus antiquis, fluxiſſe ab Apoſtolis nequaquam caput eſse neceſsarium Chriſtianæ Theologiæ; ac propterea ignorari, atque omitti, abſq; detrimento poſse. in quam rem lubet audire loquentem Origenem in Proœmio librorum Periarchon: *ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſq; ad præſens Eccleſijs permanens. illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione*. hæc Origenes, quæ valdè fulciunt ea, quæ nos protulimus. Quid verò fiet, tam multis, quæ in Concilijs Oecumenicis velut capitalia dogmata explicantur, & ſanciuntur, cum tamen oſtendere non liceat ab Apoſtolis profecta. Quando, quæſo, dixêre Apoſtoli filium eſse *ὁμοούσιον conſubſtantialem* Patri? id tamen & traditum eſt à Concilio Nicæno primo, & iam inter principes articulos Fidei recenſetur. Origenes vt nodum iam propoſitum diſſoluat, & explicet obſeruat in eodem Proœmio, Apoſtolos *de quibuſdam, quæcumque neceßaria crediderunt omnibus credentibus, manifeſtiſſimè tradidiſſe*. Talia ſunt, quæ reperiuntur in ſumma pietatis Chriſtianæ, quam legere eſt apud Iuſtinum, Tertullianumq; licet non auſim affirmare vbicumq; aliquis ex veteribus profitetur capita Chriſtianæ doctrinæ, nullum omitti, quod tamen alibi recenſetur. Subijcit Origenes *de alijs dixiſſe* Apoſtolos, *quia ſint, quomodo autem ſint ſiluiße*. Cur ita? *vt ſtudioſio-*

res

res quoq; ex poſteris amatores ſapientiæ, & ſcientiæ exercitium habere poſſent, in quo ingenij ſui fructum oſtendere valerent. Hinc igitur intelligimus, cur apud vetuſtiſſimos, chriſtianos Theologia videatur ſimplex, exiguoſque habeat limites. Qui verò doctrina externa, variaque rerum cognitione inſtructi acceſſerunt ad illuſtrandam Religionem Chriſtianam, exponendaq; myſteria, abiuerunt in ea, quæ aliquãdo cenſuram meruerunt, nec idem protulerunt, variè diſserentes. quod affirmabit, quiſquis non ſegniter legerit opera Iuſtini, Origenis, Tertulliani. certè non pauca proferunt, quæ ab Apoſtolis non manáſse, poſteriora tempora deprehenderunt. Inter ſe etiam luctati ſint, hoc eſt, non idem etiam in rebus grauibus tradidére. Nempe aut non idem dixére omnes de ijs, quæ manifeſtè dicebantur tradidiſse Apoſtoli, aut quia Apoſtoli, ſi credimus Origeni, de nonnullis non expoſuerunt quomodo ſint, non idem cunctis in explicandis cauſis effati ſunt. nam Origenes ibidem refert *ſpecies eorum, quæ per dictionem Apoſtolicam manifeſtè tradita ſunt*. & admiſcet ſubinde, quæ putat non fuiſse manifeſtè expoſita, in quibus tamen non inuenit, qui ſtatim aſsentiantur. Quod ſi quis nectat conſequentiam (vt ibidem tradit Origenes) ex ſacris Scripturis, in eiuſmodi indagine continget varia à varijs colligi. exemplo vno, atq; altero præbeamus vlteriorem materiam cogitandi lectoribus. ait in eadem Præfat. Origenes, Eccleſiaſticam prædicationem tradere eſſe Angelos Dei, *ſed quando iſti creati ſint, & quomodo ſint, non ſatis in manifeſto diſtingui.* Nec palam tra-

di, an Sol, & Luna, & Stellæ animantia ſint, an exanima. Scholaſtici verò noſtrates poſt decurſum tot ſeculorum abſq; vlla comperendinatione reſpondent, quãdo creati ſint Angeli, & quomodo ſint, & aiunt ſtellas animantia non eſſe, abſq; vlla mora. Hæc ego de vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini dum cogito, deducere conatus ſum, vt meliora à doctiſſimis Theologis, (nam meliora audi hac de re poſſe non ambigo) diſcam.

In vtramq; partem diſputatur de puellis Chriſtianis, quæ nubebant Gentilibus. Deum vetuiſſe ne cum Idololatris inirentur coniugia. Cap. iij.

CVm ex Tertulliano lib. 2. cap. 1. ad vx. conſtet quoſdam inter Chriſtianos exiſtimâſſe fas eſſe puellis Chriſtianis nubere viris Gentilibus, narret etiã idem ipſe nonnullas nupſiſſe, quærere retractatiùs prodeſt, an eiuſmodi nuptiæ, verum eſſent coniugium, & pro vtraq; parte licet ratiocinari. Nam ſi affirmes, dices, eas eſſe veras nuptias, quæ ſecundum ius ciuile Romanor ũineuntur. Nulla porrò lex inter ciuiles vetabat puellam Chriſtianam nubere Gentili, cum nihil proferre poſſimus, quo oſtendamus vetuiſſe Romanos ne Chriſtiana nuberet Gentili.

Adde multos Chriſtianos tempore Tertulliani in ea fuiſſe

fuiſſe opinione, vt putarent tales nuptias eſſe rationi cõſentaneas, cũ præſertim teſtetur ille ipſe nonnullas nupſiſſe Gentilibus, non id facturas, ſi opinatæ fuiſſent fas non eſſe ipſis nubere.

Nec legimus vnquam tales puellas diſceſſiſſe à maritis, tanquam veri mariti non forent. Quod ſi dicas, non fuiſse nuptias, aſſeres etiam puellas eiuſmodi in concubinatu vixiſſe cum Gentilibus, nec ſuos hæredes peperiſſe.

In eam partem, quæ negat fuiſse nuptias, profertur quod ſanciuit S. Paulus, nempe viduam poſse nubere tantùm in Domino, hoc eſt, nonniſi Chriſtiano: quæ ergò nuptiæ inibantur aduerſus verba S. Pauli nuptiæ profectò non erant.

Nec diſſimula ex fonte Paulino manáſse id, quod nemo non nouit, nempè cultus diſparitatem vetare iniri nuptias, adeò vt nequaquam inter Chriſtianam puellam & virum Gentilem nuptiæ conſiſtere queant.

Quod non videtur à primò Paulo profectum, ſed à lege diuina Veteris Teſtamenti petitum. Etſi enim legibus iudicialibus Veteris Teſtamenti nos non ſimus obnoxij, lex tamen, quæ vetat ne puella veri Dei cultrix nubat Idololatræ, moralibus videtur eſse accenſenda, vt perpetuum ſit Dei iuſsum tollens, atq; euertens eiuſmodi coniugium, quod proinde coniugium non eſt.

His prolatis in vtramq; partem, quid quæſo docebimus? puto reſpondendum eſse, ſi perpendatur lex diuina, ſi ob oculos ponantur verba S. Pauli, nequaquam

fuiſſe nuptias tempore Tertulliani, quando puella Chriſtiana nubebat Gentili. Etenim non poteſt eſſe coniugium inter eos, inter quos non eſt connubium ipſo Deo, Deiq; interprete Apoſtolo vetante. ſi quæras, cur Chriſtiani non palam reuocauerint puellas Chriſtianas à viris Gentilibus, reſpondeo, Chriſtianos non præditos fuiſſe ea auctoritate, iiſq; viribus vt poſſent ex lege Dei moribus hominum moderari. Ergò ipſæ manebant tanquam vxores apud Gentiles, cenſebanturq; communi hominum opinione eſſe veræ vxores: nam latebat eas eſse Chriſtianas, exiſtimabanturq; nuuiſſe ritè, & ſecundum leges Romanas coniugium.

Non erant ergò nuptiæ, ſi reſpicias ſententiam Chriſtianorum, ſecundum quam tamen, ob imbecillitatem non poterant palam tales nuptias euertere. Erant verò nuptiæ, quia nullus potuiſset in iudicio efficere, vt pronunciaret Prætor non eſse nuptias, cum ipſe legitimas eſse judicaturus foret, ignorans puellam eſse Chriſtianam, putanſq; eſse Gentilem.

Nam ſi notum fuiſset atq; exploratum Chriſtianam puellam nupſiſse Gentili, ipſe etiam Prætor Gentilis tales nuptias non approbáſset, cum nuptiæ dicantur eſſe *iuris diuini, atq; humani communicatio*. Gentiles porrò aiebant pernicioſam eſſe ſuperſtitionem, Chriſtianorum Religionem, vt colligerent nuptias non eſse inter Chriſtianam, & cultorem patriorum deorum, cum non queat eſſe communicatio iuris diuini inter eos, qui contraria ſacra colunt.

Etſi verò nihil hactenus me legiſſe meminerim, quo

diſer.

diſertè Romani vetarent, ne inirentur cum puellis Chriſtianis nuptiæ, opinionem tamen meam etiam ex eo munio, quia fas non erat ciui Romano ducere eã, quæ ciuis Romana non eſset. hinc nouimus reprehenſum à ſummo Poëta Antonium, quod duxiſset vxorem Cleopatram Ægyptiam, dum inquit:

Sequiturq; (nefas) Ægyptia coniux.

Quis etiam dubitet ſecundum Romanos non fuiſse connubium & ius coniugij inter puellam Chriſtianam, & virum Gentilem, ſi puella eiuſmodi, ſiquidem detecta fuiſset & conuicta, quod Chriſtiana foret, rapta fuiſset ad ſupplicium.

Hæc mihi placuit proferre in quæſtione ſanè difficili, & quam eliquari à viris doctis valde cuperem.

Etenim multa alia reprehendebantur à Chriſtianis in ſanctis conuentibus, & cœtibus, quæ tamen in vita ciuili, & palam obtinebant nullius auctoritate euertenda, cum poteſtas, & iuriſdictio eſset penes iudices Gentiles.

Addiderim etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus quandoq; aliter ſenſiſſe, & docuiſse Epiſcopos, aliter tamen vixiſse ciues & homines inueteratis legibus Romanorum antiquoq; iure vtentes. Exemplo efficiam clarum, quod dixi.

Multi habebant domi concubinas, eiuſmodi vitæ genus reprehendebatur ab Antiſtibus. paſſim tamen obtinebat ob legem Romanam approbantem talem coniunctionem: quæres, cur Imperatores non damnárint lege lata concubinatum, ſiquidem repugnabat ijs,

que

quæ ex diuinis præceptis proferebantur ab Epiſcopis? Reſponderim, non putâſſe Imperatores Chriſtianos eſſe conducibile ferre leges aduerſus id, quod vbiq; obtinebat ex antiqua conſuetudine, inueteratoq; more. cum præſertim magna pars populi eſſet tenax antiquæ ſuperſtitionis, & multi quoq;, qui cęteroqui Chriſtiani erant, imbecillitate magna laborarent, & frigidè parerent Antiſtitum monitis.

Quæ omnia addere lubuit, vt magis ac magis clara ſint, quæ tradidi cap. 55. in Salebr. Tertullian. & cap. 61. de Vit. Chriſtian. ante Conſtant. ne forte minus aſſequaris illa verba ſub finem illius cap. quæ ſic habent: *Nulla lex vetabat Chriſtianam puellam nubere Gentili.*

Aliquos docere nuptias puellæ Chriſtianæ cum Gentili viro irritas reddi tantum iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Cap. jv.

IN quæſtione, de qua hactenus egi, non deſunt grauiſſimi viri inter Theologos qui docent coniugium puellæ Chriſtianæ cum viro Gentili prohiberi, ita vt ſit irritum, tantum iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico, hocq; ius aiunt niti conſuetudine, quæ vim legis habet. nec dubitant affirmare hanc eſſe communem ſacrorum interpretum ſententiam.

Quam ſi amplectimur, ita differendum fuerit de propoſita

poſita controuerſia. & legis diuinæ hactenus erit faciendamentio, vt ipſa vetet quidem tales nuptias, ſed initas non omninò irritas reddat. verba etiam Apoſtoli erunt explicanda de more Eccleſiæ, vt dicamus iuſſiſſe Paulum viduam Chriſtianã nubere in Domino, hoc eſt tranſire ad nuptias Chriſtiani, non Gentilis mariti, quod ſic ſe gererent Chriſtiani, auerſarenturq; coniugia Gentilium. ita autem locutum Apoſtolum id non tam petens ex diuina lege, quam, vt iam dixi, ex conſuetudine Eccleſiæ. qua ratione etiam diſſeruit 1. Cor. 10. vbi poſtquam non pauca protuliſſet de propoſita controuerſia, tandem vt ſilere cogeret contentioſos, ſe recepit ad conſuetudinem Eccleſiæ. *Si quis*, inquit, *contentioſus ſit, nos eiuſmodi conſuetudinem non habemus, Eccleſia Dei.*

Cum ergò Tertullianus probè noſſet puellas Chriſtianas, quæ nubebant Gentilibus, peccare aduerſus Chriſtianæ Eccleſiæ morem, acriter in ipſas inuehitur, repetitq; verba Apoſtoli. An verò quæ aduerſabantur mori Eccleſiæ, dicendæ forent vxores virorum Gentilium, necne, de eo ſic fere pronunciandum eſt, vt iam diſputauimus capite præcedente.

An & quatenus Philoſophiæ operam dederit Origenes, eamq; alios docuerit? Qualis eſſet ſchola Chriſtianorum Alexandriæ.

Cap. jv.

QVæ de Philoſophia prorſus à Chriſtianis ante Cō-ſtantinū contempta diximus, refutari poſse videntur diſertè vnius Origenis exemplo, quem conſtat generoſo planè propoſito ad Philoſophiam animum appuliſse, tamq; feliciter in ea profeciſse, vt inter primos ſui temporis Philoſophos meritò recenſitus fuerit, qua de re neminem dubitare ſinunt ea, quæ apud Porphyrium in vita Plotini leguntur. omnes enim opiniones externorum ſapientum nouit exactè, quibuſque fundamentis vnaquæq; ſecta, imò opinio nitetetur, exploratum habuit, potuitq; ediſſerere diſertiſſimè. Hinc adeò factum vt Alexandriæ cum doceret, habuerit plurimos auditores, vndiq; magno numero ſtudioſorum Iuuenum, atq; etiam Virorum confluente, pertracto fama tanti viri, magnaq; expectatione, quā de ſe iampridem concitauerat.

Vnde diſcere poſſumus non ſolùm non contemptim habitam à Chriſtianis Philoſophiam, ſed ſedulò excultam, alijs publicè in ſcholis prælectam, vt affirmare liceat valde multos ea tempeſtate fuiſſe Alexandriæ homines Chriſtianos Philoſophicorum dogmatum peritiſ

qui

qui alios porrò docuiſse cenſendi ſunt,vt ſerie quadam ſapientum Virorum ſe inuicem excipientium philoſophia propagata fuerit in cœtibus Chriſtianorum.

Verum ignorare nos non oportet Origenem,vt erat ingenio excelſo, & extra ordinem magno, ita ſe extra ordinem præter morem communem Chriſtianorum geſſiſse. Etenim incenſus ingenti amore propagandę Religionis Chriſtianæ, cum videret magnifieri paſſim Philoſophos,pręſertim Platonicos,non dubitauit Gentilium ſcholas ingredi, audireq; docentes Philoſophos, vt peritiſſimus eiuſmodi dogmatum euaderet,poſsetq; deinceps ipſe alios docere, cumq; ſapientibus verba commutare. ſe geſſiſse hac in re præter morem Chriſtianorum dubitandum nequaquam eſt,cum tantum incumberent lectioni ſacrorum literarum, probèq; noſſent præſens periculum excidendi à fide imminere ei, qui Gentilium Sophiſtarum ſcholas frequentaret.

Origenes porrò iam valde doctus deinceps dedit operam, vt multa ex Platone, & Platonicis admiſceret dogmatibus Chriſtianis,ne Gentiles amplius nimiæ ſimplicitatis notam impingerent Religioni Chriſtianæ. quod eo profectu præſtitit, vt multos quidem allexerit ad Fidem Chriſti, interim tamen non vno modo ſincerum lac pietatis Chriſtianæ infecerit externæ Philoſophiæ impuro liquore, ſparſeritq; in agrum Domini malum ſemen, vnde porrò natum eſt infelix lolium,multarum opinionum,procul à traditione Eccleſiaſtica aberrantium.

Neq; verum eſt, Origenem in ſchola publica Ale-

xandriæ interpretatum fuiſſe Platonē, aut palam profeſſorem egiſſe Platonicæ vel alterius Philoſophiæ. nā ſucceſſit Clementi Alexandrino tanquam Cathechiſtæ in ea ſchola, in qua ſimpliciter exponebantur elementa Fidei Chriſtianæ. Caue enim exiſtimes Chriſtianos habuiſſe ſcholam, in qua traderentur philoſophica dogmata Platonis, Ariſtotelis, Democriti, Zenonis.

Non negauerim tamen quandoq; aliqua admixta, & adſuta fuiſſe Fidei Chriſtianæ dum in ſchola adoleſcētibus explicabat principia eiuſdem Fidei, ſed in eo non ſe gerebat Chriſtiano more, quin tranſiliebat lineas, quas debebat ſcire ſibi tanquam Cathechiſtæ eſſe poſitas.

Extra autē ſcholam, cum Alexandriæ valdè florerent ſtudia Philoſophiæ, atq; etiam aliarum diſciplinarum, non grauatè Origenes congrediebatur cum ſtudioſis, ſuiq; copiam faciebat cupientibus capita conferre de philoſophicis dogmatibus, & aliquid audire, quod plebeiam monetam non tinniret.

Qua in re morigerum ſe præbebat, non tam amore Philoſophiæ Platonicæ, quam ſtudio docendæ, commendandæq; Fidei Chriſtianæ. Etenim præferens ſe acturum de rebus philpſophicis, ſenſim dilabebatur ad præbendum lac fidei noſtræ. Quæ omnia à me non falſa coniectura proferri, ſed verè pronunciari facile vnuſquiſq; intelligere poteſt ex verbis S. Hieronymi, quæ ſubijcienda omninò mihi videntur. in lib. de Vir. Illuſt. *Concurſus quotidie miri ad eum (Origenem) fiebant, quos ille propterea recipiebat, vt ſub occaſione ſæcularis litteraturæ inſi-*

in fide Chriſti eos inſtitueret. idem in Apolog. ad Pammach. & Oceanum. de Origene ſic ſcribit: *Alexandriæ ſcholam tenuit ſuccedens eruditiſſimo viro Clementi presbytero.* Duplex hoc teſtimonium de Origene, qui diligenter expenderit, & trutinauerit, non cunctabitur aſſenſum ijs, quæ hactenus de eodem Origene diſſeruimus, præbere.

INDEX
LOCORVM S: SCRIPTVRÆ
qui in hoc opere proferuntur, & illuſtrantur.

GEN. cap. 1. *In principio fecit Deus Cœlum, & terram.* p 67. *Terra autem erat inuiſibilis.* p. 50.
Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. 60
& tenebræ erant in ſuperficie abyſſi. 60.
Fiat lux. p. 52.
Cap. 2. *Septima die requieuit ab operibus ſuis.* 65.
Benedixit diei ſeptimo. 155.
Cap. 6. *Acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas legerunt.* 71
Cap. 19. *Pluit Dominus à Domino.* 69.
Cap. 22. & 26. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes* 68.
Exod. cap. 6. *Et nomen meum Adonai non indicaui illis.* 67.

Pſal. 19. *Cæli enarrant gloriam Dei*. p. 19.
44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*. 32.
102. *Opera manuum tuarum Cæli, ipſi peribunt*. 100. 101.
119. *Reuertere anima mea in requiem tuam*. p. 29.
148. *Et aquæ, quæ ſuper Cælos ſunt*. 19. 23.
Prouerb. cap. 8. *Deus creauit me initium viarum ſuarum*. pag. 10. 11. 50. 45. 57. *vulgata verſio habet:* dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.
Prior abyſſo genita ſum. p. 62.
Nondum erant abyſſi, & iam concepta eram, ante colles ego parturiebar. p. 11.
Iſaię. *Ego qui ſtruxi lucem, & feci tenebras*. 61.
Quia ſpiritus à me exiuit, & omnem flatum ego feci. 64
Cap. 6. Sanctus, ſanctus. p. 14.
Et filius hominis adductus eſt ad antiquum dierum p. 69
66. *Sicut Cæli noui, & terra noua, quæ ſtare ego facio coram me*. p. 100.
Oſeæ cap. 1. *Verbum Domini, quod fuit ad Oſeam*. p. 52.
Amos cap. 4. *Qui ſolidat tonitruum, & condit ſpiritum, & annuntiat in homines Chriſtum ſuum*. p. 64. *Verſio vulgata ſic ſe habet:* Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuũ.
Habacuc cap. 3. *In medio duorum animalium cognoſceris*. p. 14. *Vulgata verſio habet:* In medio annorum notum facies, *quod pleriq; exponunt de tempore, in quo fuit occiſus Balthaſar, cuius mors eſt media inter deſtructionem templi, & eiuſdem reparationem ſub Cyro*.
Matth. cap. 3. *baptizabantur confitentes peccata ſua* p. 166. 167.

Cap. 4. *& poſtquam ieiunaſſet quadraginta dies*. 188.
5. *Veſter ſermo ſit eſt eſt, non non*. 176. 177.
6. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*. 87.
Ecce duo gladij hic. 174.
26. *Hoc eſt corpus meum* 171.
Conde gladium tuum in vagina. 80.
27. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. 92.
Lucæ cap. 16. *In ſinum Abrahæ*. 92.
Iohan. 1. *In principio erat Verbum* 52.
6. *Ego ſum panis viuus, qui deſcendi de cælo*. 32.
8. *Abraham vidit diem meum, & lætatus eſt*. 66. 69.
14. *Ego ſum veritas*. 46.
Acta Apoſtol. cap. 4. *Erant illis omnia communia*. 113.
Cap. 15. *abſtineant à ſanguine, & ſuffocato*. 158. 159.
Epiſt. S. Pauli. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. p. 17
Rom. 13. *Omnis anima ſit ſubiecta* 84.
15. *Collationem aliquam facere in pauperes*. 140.
Salutate inuicem in oſculo ſancto. 164.
1. Cor. 6. *Illos conſtituite ad iudicandum*. 129.
7. *Nubat tantum in Domino*. 98.
Sanctificatur vir infidelis. 99.
10. *Vnus eſurit, alius eſt ebrius*. 147.
15. *Secundus homo de Cælo cæleſtis*. 32.
Coloſs 2. *Nemo vos decipiat per Philoſophiam*; 84.
Galat. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt*. 151.
6. *Operemur bonum ad omnes*. 180.
Epiſt. ad Hebreos cap. 6. *Impoſſibile eſt renouari*. 32.
1. Timoth. 3. *Vnius vxoris virum*. 180. 96.

5. Quæ

5. *Quæ fuerit vnius viri vxor*. 180.
2. Petri cap. 3. *Cæli magno impetu tranſient, elementa calore ſoluentur*. p. 100.
Epiſt. Iudæ. *Venit Dominus cum ſanctis ſuis*. 43.
Hi ſunt maculæ in Agapis. 147.
Apocalypſ. 3. *Venio citò* 183.
Cap. 6. *Vidi animas ſub altari*. 91.
Cap. 20. *Vidi Angelum habentem clauem Abyſſi*. 62
Cap. 21. *Et Cælum nouum, & terram nouam*. 100
Cap. 22. *Et Spiritus, & ſponſa dicunt Veni, & qui audit, dicat, veni, veni domine Ieſu*. 183.

Finis Indicis locor. Script.

INDEX

INDEX SCRIPTORVM,
ex quibus teſtimonia proferuntur, et explicantur.

ARnobius.
S Auguſtinus.
S. Clemens Romanus.
Codex Iuſtinianeus.
Cōcilium quintum, & ſextū Generale.
Laodicenum. Eliberitanum.
S. Cyprianus.
Euſebius Cæſarienſis.
S. Hieronymus.
S. Ignatius.
S. Iuſtinus Martyr.
Iuſtinianus Imperator ſępe in diſputatione contra Origenem.
Iuriſconſulti veteres.
Lactan tius
Origenes in primo opuſculo ferè ſēper.
Perſius.
Sacra Scriptura frequenter.
Seuerus Sulpitius.
Tertullianus in ſecundo, & vltimo opuſculo ferè ſēper.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & verborum.

AGAPÆ in triclinio. pag. 146
Vt prodigæ accuſatæ à Gentilibus. 147.
Angeli vnde aſſumant corpora? 77.
Angeli an duxerint vxores. quando primum peccarint. quid inuenerint? 70. 71. & ſeqq.
Animæ beatæ an cupiant deſcendere in corpora. 188.
Anima ſecundum Platonem non omninò corporis expers. 190
Animæ an ante Iudicium migrent in Cœlum? 95
Antelucani cœtus Chriſtianorum. 172
Apoſtoli oppugnantes nationes. 195
Arrius vnde ſuum errorrem hauſerit? 164
Aſtrologia an inuenta à dæmonibus? 75

B

BAſilicæ quando cœperint dici Eccleſiæ. 138

C

CHriſtiani an ante Conſtantinum habuerint ea, quæ ſunt imperij? 173
Chriſtianos cupiuiſſe quamprimum Chriſtum venire ad iudicium. 183

Chriſtiani exiſtimati à Gentilibus cauſa publicarum calamitatum. 177. 126
Vnde dicti? 128. 129
Chreſtiani, & Chreſtus, ibidem.
Circenſes ludi an coniuncti cum Idololatria? 114
Communio omnium rerum an fuerit in principio Eccleſia. pag. 113.
Clerici exercentes opificium. 141
Conſuetudo non reijcienda. 109. 110. 193
Collegia Chriſtianorum an fuerint licita ante Conſtantinum. 122.
Conuiuia cur non inirentur à Chriſtianiſtum Gentilib. 130
Coronæ prorſus reiectæ à Chriſtianis. 130
Conuentus Chriſtianorum duplices. 199
Clemens Alexandrinus Catechiſta. 164
Confitentes peccata ſua Iohanni. 166
Confeſſio delictorum an præmittenda Baptiſmo. ibidem.
Crucis ſignum frequentiſſimum apud Chriſtianos primos. pag. 149. 150.
Immeritò reiectum à Geneuenſibus. ibidem.
S. Cyprianum quid traxerit in errorem. 89

D

Diuinitatis nota apud Tertullianum. 196
S. Dionyſij opera cur diu latuerint? 171.
in Domino nubere quid? 98. 99
Deſcenſus Chriſti ad Inferos. 93

E

Excommunicatio an actus Imperij. 174
Enochi librum arriſiſſe Tertulliano. 195

Enochi prophetia de extremo iudicio. 194
Exomologeſis tempore Tertulliani duplex. 169
Exomologeſis ante Baptiſmum quæ. 88

F

FOrtuna Cæſaris reiecta à iuramento Chriſtianorum. 115
Fabricatores Idolorum reprehenſi. 133
Fœnus nauticum quale? 131
Fœnus an exercerent Chriſtiani. 131
Fores coronatæ lætitiæ cauſa. 120
Funus veterum Chriſtianorum, an, & quatenus habuerit odores. 175

G

GEnius quid? 117. *an per Genium Cæſaris iurarent Chriſtiani.* *ibidem.*

H

HIeroſolymitani Epiſcopi primi, & Chriſtiani ex Circunciſione. 150.151.152.

I

IEiunium ſignum mæſtitiæ. 158
Imperatoris imagini ſacrificaſſe Gentiles. 144
Imperator dictus à Tertulliano ſolo Deo minor. 78.79
Imperio Romano ruente finem imponendum ſeculo. 182
Idola an potuerint frangi. 132
Iuſtinianum fuiſſe valde doctum, & multa ſcripſiſſe etiam de Theologia. 187.188
Imperator an vocandus dominus? 119

Inſe-

Inferi an redigendi in nihilum? 102
Iuramentum per Maieſtatem, & ſalutem Imperatoris, per eiuſdem genium, fortunam. 116. 117. 118. 119.

L

LEges Romanæ olim contemptæ à Romanis. 136
Libri Gentilium contempti ab antiquis Chriſtianis. pag. 154.
Lites diremptæ inter antiquos Chriſtianos. 129
Lucerna lætitiæ cauſa accenſæ à Chriſtianis. 122. 123

M

MArtyrum animæ quò proficiſcantur ſecundum Tertullianum. 93
Martyres an in Vet. Teſtamento? 91
Mendicandi mos an in veteri Eccleſia? 140
Defenſus in ordinibus Religioſorum Mendicantium à S. Thoma. ibidem.
Mundus an interiturus ſecundum ſubſtantiam? 101. 102
Magiſtratus reiecti à Tertulliano. 42
Militare an liceat Chriſtianis? 86. 87. *In veteri Eccleſia milites. ibid. tota militia viſa damnari à Tertull.* ibid.
Myſteria Religionis non euulgata fuiſſe in veteri Eccleſia. 169. 170. *quid ea de re Tertullianus, & Iuſtinus.* ibid.
Montani vanus Enthuſiaſmus. 193

N

NAzaræorum hæreſis qualis? 152
Nocturni conuentus Chriſtianorum. 148. *an ijs intereſſent etiam mulieres?* ibid.

Enochi prophetia de extremo iudicio. 194
Exomologeſis tempore Tertulliani duplex. 169
Exomologeſis ante Baptiſmum quæ. 88

F

Fortuna Cæſaris reiecta à iuramento Chriſtianorum. 125
Fabricatores Idolorum reprehenſi. 133
Fœnus nauticum quale? 131
Fœnus an exercerent Chriſtiani. 131
Fores coronatæ lætitiæ cauſa. 120
Funus veterum Chriſtianorum, an, & quatenus habuerit odores. 175

G

Genius quid? 117. *an per Genium Cæſaris iurarent Chriſtiani.* *ibidem.*

H

Hieroſolymitani Epiſcopi primi, & Chriſtiani ex Circunciſione. 150. 151. 152.

I

Ieiunium ſignum mæſtitiæ. 158
Imperatoris imagini ſacrificaſſe Gentiles. 144
Imperator dictus à Tertulliano ſolo Deo minor. 78. 79
Imperio Romano ruente finem imponendum ſeculo. 182
Idola an potuerint frangi. 132
Iuſtinianum fuiſſe valde doctum, & multa ſcripſiſſe etiam de Theologia. 187. 188
Imperator an vocandus dominus? 119

Impe-

Inferi an redigendi in nihilum? 102
Iuramentum per Maieſtatem, & ſalutem Imperatoris, per eiuſdem genium, fortunam, 116. 117. 118. 119.

L

LEges Romanæ olim contemptæ à Romanis. 136
Libri Gentilium contempti ab antiquis Chriſtianis. pag. 154.
Lites diremptæ inter antiquos Chriſtianos. 129
Lucernæ lætitiæ cauſa accenſæ à Chriſtianis. 122. 123

M

MArtyrum animæ quò proficiſcantur ſecundum Tertullianum. 93
Martyres an in Vet. Teſtamento? 91
Mendicandi mos an in veteri Eccleſia? 140
Defenſus in ordinibus Religioſorum Mendicantium à S. Thoma. ibidem.
Mundus an interiturus ſecundum ſubſtantiam? 101. 102
Magiſtratus reiecti à Tertulliano. 42
Militare an liceat Chriſtianis? 86. 87. *In veteri Eccleſia milites.* ibid. *tota militia viſa damnari à Tertull.* ibid.
Myſteria Religionis non euulgata fuiſſe in veteri Eccleſia. 169. 170. *quid ea de re Tertullianus, & Iuſtinus.* ibid.
Montani vanus Enthuſiaſmus. 193

N

NAzaræorum hæreſis qualis? 152
Nocturni conuentus Chriſtianorum. 148. *an ijs intereſſent etiam mulieres?* ibid.

in Nomi-

in Nominibus an ſit turpitudo. 123
ob Nomen ſolum inuiſi Chriſtiani Gentilibus. ibid.
Nuptiæ in Eccleſia contrahi ſolitæ etiam ante Conſtantinum. 178
Nuptiæ Romanorum an neceſſariò eſſent coniunctæ cum Idololatria? 177

O

ORatoria veterum Chriſtianorum. 137
de Oſculo apud Chriſtianos 160. Signum fraternitatis, & æqualitatis. ibid.
Oſculum Chriſtianarum mulierum. 159
Origenes ſeipſum caſtrauit. 185. 186
Origenes hauſit errores à Platone. 186
Damnatus à 5. & ſexta Synodo. 187

P

PAradiſus vbi? 94. 95.
an idem cum ſinu Abrahæ? ibid.
Poteſtas gladij 80. 81. Reiecta à Tertulliano. ibid.
Pantænus Catechiſta. 164. in Schola Alexandrina. 209. 210.
Philoſophi Patriarchæ hæreticorum. 165
Polycarpus generoſus. 144
Priſcilla falſa vates. 194
Puellæ Chriſtianæ nubentes Gentilibus. 179
Perſij verba ambigua. 175
Pythagoræ euertentis inferos argumentum. 189

R

REges ſumma magna. 78. 79
Repudium quid? 181

Romanæ leges contra Chriſtianos impiæ. 200

Ritus nuptiarum ſecundum Romanos deſcriptus. 177

S

SAbbatum Paſcha cum ieiunio. 155

Sabbatum apud veteres Chriſtianos ferè feſtum. 153 154. 155

Seuerus Imperator fauit Chriſtianis. 163

Solis dies feſtus apud Chriſtianos. 156

Sacerdotes an abſtinerent à re vxoria? 97

Stipendia Sacerdotum an fuerint exacta? 139

Sinus Abrahæ an idem cum Paradiſo? 92

Secundæ nuptiæ aliquatenus improbatæ à Chriſtianis. 180

Sol an cupiat diſſolui? 189

T

TErtullianus ſequeſtrat omnem animam apud Inferos in diem iudicij. 197

S. Thomæ opinio de qualitate ſuperradita igni inferorum. 190

Terra rudis, ex qua factus eſt mundus. 198

Toga Romanorum propria veſtis. 85

Toga prætexta. 84

Tertulliani opera à quo optimè edita? 103

V

VVlgus Gentilium infeſtum Chriſtianis. 126

Vxor Tertulliani. 96

Virgines non conſueuiſſe velari. 145

Vidi Epigrammata, & quæ adduntur libro de Vita Chriſtiani ante Conſtant. neq; quicquam in ijs inueni fidei, boniſque moribus contrarium. datum in Conuentu S. Mariæ Nouellæ de Florentia, die 27. Septembris 1639.

Fr. Donatus Antellenſis S. Th. Mag. Metaphiſicus in vniuerſ. Piſ.

Imprimatur ſeruatis ſeruandis. D. die 3. Octob. 1639.

Vincentius Rabatta Vicarius Gen. Flor.

Imprimatur Florentiæ 5. Octobris 1639.

Fr. Ioannes Muzzarellius Inquiſ. Gener. Flor.

Alexander Victorius Senator.

Errata Typographica corrigenda.

Pag. 12. lin. 14. pro *inſpectione*, lege *inſpectionem*. p. 17. lin. 4. poſt verbum *dixerat* inſere hæc: *animas fuiſſe antequam deſcenderent*. ibid. pro *queniam* leg. *quæ omnia*. p. 104. lin. 14. *Rigaltius* leg. *Rigaltij* p. 111. poſt verbum *incidere* adde, *experiebantur*. p. 183. l. 11. pro *Romana* leg. *Romani*. 101. l. penult. pro *erat* l. *erant*. 100. l. 6. poſt vocabulum *Cœli* inſere. *ipſi peribunt*. l. 15. pro *mutantur, amittunt* l. *mutatur amittit* p. 94. l. 13. pro *illas* l. *illos*. p. 48. l. 5. pro *eſt* l. *eſſe*. p. 168. l. 13. pro *diem in die* l. *die in diem*. p. 110. l. 1. pro *morum* l. *morem*. l. 4. pro *quam* l. *qua*. l. 7. pro *verdicandam* l. *vindicandam*. l. 20. pro *rationis de ijs*. l. *rationis. De ijs*. p. 99. l. 3. pro *voluiſſe* l. *noluiſſe*. p. 203. l. 18. pro *cunctis* l. *cuncti*. p. 81. l. 6. pro *qui* l. *qua*. p. 86. l. 23. pro varcare l. *vacare*. p. 77. l. 18. pro *cum defecerint* l. *vnde fecerint*. p. 78. l. 23. pro *rationes*, l. *nationes*, p. l. 2. pro *videntur* l. *videantur*. p. 211. l. 15. pro *ſacrorum* l. *ſacrarum*. p. 164. l. 19. pro *furunt* l. *fuerunt*. p. 165 l. 1. pro *in* l. *vno*. p. 137. l. 13. pro *eius de* l. *eiuſdem*. p. 112. l. 3. pro *Cathechiſta* l. *Catechiſta*, p. 30. l. 13. pro *efferatq;* l. *efferaſq;* p. 175. l. 8. pro *dij* l. *dijs*. p. 64. l. 13. pro *ſi* l. *ſic*. p. 157. l. 20. pro *diem* l. *die*. p. 210. l. vlt. pro *periti* l. *peritos*.
Epiſt. dedic. pro *obſeruantur menti* l. *obuerſantur*. p. 124. l. 1. pro *Cirſes* l. *Circenſes*.